2.

AD ILLVSTRISS.

CHRISTOPHORVM MADRV-
TIVM PRINCIPEM TRIDEN-
TINVM ET CARDINALEM
Amplißimum.

ALEXANDRI TRAIANI PETRONII
Dialogi de re Medica.

QVID IN SINGVLIS CON-
tineatur, sequens pagina Indicabit.



Romæ apud Valerium Doricum. MDLXI.

INDEX.

ILLVSTRISS. CHRISTOPHO-
ro Madrutio Principi Tridentino & Car-
dinali Amplissimo.

Alexander Traianus Petronius.

MVLTI sunt Illustrissime Princeps qui in ea arte quam profitetur, semper aliquid quod utile sit nituntur efficere. hos ego imitatus in omnes Hippocratis aphorismos quod eos ab alijs parum fœliciter parumq; ad ipsius authoris mentem expositos esse uiderem, commentarios scribere tentaui, ac ferè iam totum opus absolui: Non tamen hactenus quicquam ex eo emittere ausus sum, propterea quod & Galeni & multorum recentiorum pleraq; placita in his euerti perspiciebam, atq; seniorum medicorum qui hæc audiebant, hi quidem uocabant capritia ut uulgo dicitur, hi uerò ineptias: forsan ut ab his me magis deterrerent: cogitabam etiam mecum ipse qui fieri posset, ut uiri tam celebres per tot sæcula in his explanandis essent lapsi, ego unus ueritatem, attigissem? itaq; ueritus ne φιλαυτία (ut græci dicunt) me deciperet, Pictorum exemplo qui antequàm uniuersam imaginem palàm uideri sinant, eius manum aut pedem spectandum exhibent, mihi necessarium esse duxi horum partem aliquam in apertum edere, una cum alijs quibusdam opusculis ad quæ scribẽda philetœrus uir grauissimus & mihi amicissimus me compulit: atque hæc omnia sub tuo nomine qui bonarum artium studiosos inter quos apud te haberi cuperem, semper amplecteris: ut si forte in his sapientiores uiri me hallucinari subinde ineptias quoque scribere iudicarent, minor in his paucis aphorismis quàm si omnes produxissent, error deprehẽderetur; sin magis opportuna quàm

alios scripsisse neque meas ineptias sed illorum inertias mõstrasse censerent, Reliquos maiori cum fiducia tibi offerre possem. Malui uero hæc ipsa quæ nunc prodeunt, in dialogos quàm in commentarios includere, quia Philetærus qui causam his disputationibus dedit sic requirebat, Deinde magis hæc quàm alia & partim ordine præpostero, partim nimis prolixe conscripsi, quoniam amici qui ea tum a me efflagitabant, modo hæc modo illa pro suo arbitratu petebant. Cæterum in his quædam iocosa, quædam seria sunt: iocosa si aduersarij culpent, seipsa tuẽtur quod ioco dicta sint: seria sine defensore uix calũnijs resistent: habent enim (quia nostra ætate noua sunt) aduersarios nimis magnos nimisq; multos. Pro iocosis igitur quia leuia sunt subsidium ullum abs te petere absurdum est, nollem enim idem mihi accidere quod illi qui pulice pedem mordente Herculis auxilium implorauit. Sed ad ea protegenda quæ seria sunt, tanto iustius est ut te inuocem & ut tu libenter annuas, quanto hæc grauiora utilioraq; esse uidentur & ij qui aduersantur non pulices existimantur sed elephanti. Bene Vale.

ALEXANDRI TRAIANI PETRONII DIALOGVS PRIMVS AN OMNES AQVAE DVLCES AEQVALES pondere ſint.

MATHETES, BOETHVS, FESCENNIVS.

MAT. Quia mihi nihil unquam gratum magis fuit, quàm ea, quæ dubitata ſunt, explicata, quoad fieri poteſt, audire: uellem mi Feſcenni, ut pro benignitate tua mihi recenſeres, quid Philetærus communis amicus noſter uir & multæ lectionis, & ingenij perſpicacis reſponderit quæſito tuo de aquis dulcibus? quippe ille aſſerebat nullam pondere ſuperare aliam, ſed omnes ad ſtateram æquales eſſe. tu contrà & rationem & experientiam in medium adducebas: tùm ille tibi inquirenti, quis author hoc diceret, ſtatim reſpondit Plinij eam eſſe ſententiam: tu uerò id miratus tacendum

esse duxisti, tantisperdum locum ostenderet: nunc igitur id scire ex te cupio, an ostenderit. FESC. *ostendit quidem Plinium de aquarum dulcium pondere loquentem, sed quod pollicebatur minimè.* MAT. *quomodo id factum est.* FES. *heri me procul uidens alta uoce appellat, rogat, ut eum præstoler, sisto gradum, ipse accedit, propior factus scriptum quoddam manu sua mihi porrigit: tum inquit,* Amice, *en tibi omnia enodata: hæc contra quàm opinareris, sententiam meam, & monstrant, & firmant.* MAT. *lege, obsecro scriptum illud.* FESC. *Boethus hic habet.* MAT. *lege Boethe.* BOE. *faciam, ut iubes*

,, *non inuitus:* Quod *nudius tertius palàm dixi, et die*
,, *hesterno nouissimè sum pollicitus, scilicet aquam dul*
,, *cem aut leuem aut grauem statera ponderari non de*
,, *bere, nunc tibi ex Plinio iam citato, libro 31. cap.*
,, *3. libenter trado.* MAT. *Siste.* BOE. *quid est?*

MAT. *non erat ista contentio, sed an omnes aquæ dulces æqui ponderis essent.* BOE. *uix id credam.* MAT. *Sic est, ita me Deus amet, quin immò addebat, accipe amphoram librarum uiginti, imple aquâ aliqua dulci, mox pondera, deinde eandem uacua, & aqua altera dulci quauis reple, ne dragma quidem una different: testis est nobilis* Albertonius *bona-*

rum artium studiosus; testis est eiusdem amicus doctor Siculus, & alij non ignobiles, qui tùm aderant, ubi de eo disputabatur. BO. quid refert? uideamus id, quod ex Plinio recenset. MAT. perge. BOE. ,, quo loco ad uerbum ita habet: Horum sententiam ,, refellere interest uitæ, imprimis enim leuitas illa ,, deprehendi aliter, quàm sensu uix potest, nullo penè ,, momento ponderis aquis inter se distantibus, mox in ,, fra subiungit: Quidam statera iudicant de salubri ,, tate, frustrante diligentia, quando perrarum est, ut ,, leuior sit aqua, certior subtilitas inter pares melio ,, rem esse, quæ calefiat, refrigeretur'q; celerius, & ,, quæ sequuntur. MAT. quid ais Fescēni? nullo pe nè momento ponderis aquas inter se distare uidetur Plinius his uerbis exprimere, ita ut uerum quoq; esse appareat id, quod Philetærus asserebat, aquas dulces pondere æquales esse omnes. FESC. nisi te animus, aut amor fallit, apertè cognosces, tùm lon gè aliud intelligere Plinium, quàm quòd Philetærus ex eodem accipere nititur, tùm falsum esse, dulces omnes aquas nullo ponderis momento distare: quis enim, quæso, affirmauerit, nisi pertinaci sit animo, aquam è niue manantem æqui ponderis esse cum plu uia? præsertim ea, quæ ab Hippocrate ætherea nun

cupatur: ut enim illa denſiore corpulentia eſt, ita
quoq; grauior, Hinc Hippocrates *lib. de aere & a-*
,, *quis, de aqua ex glacie loquens, quod quidem in ipſa*
,, *clarum, ac leue, & ſuaue eſt (inquit) excernitur,*
,, *ac diſperditur, quod uerò turbidiſſimũ eſt, ac ponde-*
a, *roſiſſimum relinquitur: hoc uerò cognoueris hoc mo*
,, *do, ſi enim uolueris hyemis tempore uaſculum certa*
,, *aquæ menſura infuſa ſub* Dio *exponere quo maxi-*
,, *mè congeletur, deinde poſtridie in locum calidum de-*
,, *portatum ſinere, quò maximè glacies liqueſcat, &*
,, *ubi exoluta fuerit, aquam metiri, reperies aquã mul*
,, *tò pauciorem: atq; hoc ſignum eſt, quod à congela-*
,, *tione id, quod leuiſſimum, ac tenuiſſimum eſt, diſper-*
,, *ditur: non quod grauiſſimum ac craſſimum, non*
,, *enim hoc diſperdi poterit. hæc* Hippocrates, *ubi leuiſ*
ſimum & grauiſſimum non ea ratione, quod citò ca
leſcat, refrigeretur'ue, aut contrà metitur, ſed quod
ſurſum, aut deorſum facile feratur; qua ratione et
aquarum & cæterorũ corporum pondera expendere
ſolemus. hoc idem in aquis pluuialibus apud eũdem
,, *in eodẽ libro uidere eſt, cũ inquit aquæ pluuiales leuiſ*
,, *ſimæ, ſuauiſſimæ, tenuiſſimæ, et ſplendidiſſimæ ſunt:*
,, *primùm enim* Sol, *quod tenuiſſimum, ac leuiſſimũ*
,, *eſt in aqua educit, ac ſurſum rapit. hæc ille. Si ergo*

leuissimum, quod in aqua est, Sol sursum rapit, id pondere (sicut antè diximus) leuissimum erit. BO. *id, qui negat, sensus iudicium negat.* FES. Hinc Cel
„ *sus lib. 2. cap. 17. aqua (inquit) leuissima pluuia-*
„ *lis est, deinde fontana, tùm ex flumine, tùm ex pu-*
„ *teo, post hæc ex niue, aut glacie, grauior his ex lacu,*
„ *grauissima ex palude: facilis etiam & necessaria co*
„ *gnitio est naturam eius requirentibus, nam leuis pon*
„ *dere apparet: & ex ijs, quæ pondere pares sunt;*
„ *eò melior quæq; est, quò celerius & calefit, & frige*
scit. hæc Celsus: *ubi habes, aquam aliam alia gra uiorẽ, aliam omnium grauissimam, & aquas aliquas pondere æquales, ità ut non omnes pares sint. his* Oribasius *libello suo de aquis, non minus apertum*
„ *testimonium præbet, inquiens, præstat quæ pura, &*
„ *nullo alieno colore infecta sit, & in qua neq; limus,*
„ *neq; quicquam aliud subsidat, quæ ità erit, statim etiã*
„ *leuis erit pondere, atqui leue quicquid est pondere,*
„ *minus terræ habet admixtũ: graue enim quod est, à*
„ *terra maximè grauitatem habet.* Hactenus Oriba
sius, qui aquam leuem pondere, quod statera cognosci tur, iudicat, tanq; aliam alia grauiorem non autem, ut æqualis ponderis omnes uelit intelligi. BO. *miror, quod Philetærus homo tàm doctus, tàm disertus, &*

Medicinæ & Philoſophiæ Conſultiſſimus aliter ſentiat. FES. *illud idem Galenus* 5. *aphoriſmorum.*
,, 26. *inſinuat, inquiens, non pondere talem eſſe leuiſ-*
,, *ſimã dicendum eſt, ſic enim nihil magnum edoceret*
,, *præter id, quod per quendam circuitum illud inuenit,*
,, *quod facile erat ſtatim inuenire: nam ſi pondere le*
,, *uiorem aquam dignoſcere quærit, promptum ipſi fuit*
,, *ad proprium eorum quæ ponderantur, iudicium rem*
,, *deducere, eiusq́; per lancem ac pondus inquiſitionem*
,, *facere, ità* Galenus: *quippe qui præter id, quod docet, quomodo ſecundum* Hippocratem *iudicari leuitas aquæ debeat, innuit hanc eandem & ponderari ſolere, & aliam alia leuiorem, grauioremúe ſecundum pondus ipſum inueniri. id quod illinc intelligi poteſt,*
,, *quando ſcribit, promptum* Hipp. *fuiſſe, ad proprium*
,, *eorum, quæ ponderantur, iudicium, rem deducere,*
,, *eiusq́; per lancem, ac pondus inquiſitionẽ facere, tanquam minimè ambigens, quòd aqua ponderari ſoleat, quodq́; altera ſecundum pondus grauior, leuior'ue, quàm altera ſit, in quo* Philetœrus *noſter, tantum abeſt, ut* Galenum *imitetur, à quo ne latum quidem unguem ſe recedere credit, ut eidem multò maximè aduerſetur. quid his immoror? non'ne* Hippocrates *libello de aere & aquis in principio aquas pondere*

inter se distare scriptū reliquit, cum inquit, δεῖ δὲ καὶ τῶν ὑδάτων ἐνθυμέεσθαι τὰς δυνάμιας, ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ στόματι διαφέρουσι, καὶ ἐν τῷ σταθμῷ, οὕτω καὶ ἡ δύναμις διαφέρει πολυ ἑκάστου. quod
,, *est, oportet autem & aquarum uires considerare,*
,, *quemadmodum enim in ore differunt, et in pondere,*
,, *sic et singularum uires plurimùm differunt: dixi prius græcè, ut si latina interpretatio dubium aliquod afferret, statim ad Græcam recurrere possemus.* BOE. *ad hæc Philetærus respondet audite: inquit, neq; enim Plinio refragatur* Hipp. *in libro*
,, *de aere, aquis, & locis, inquiens, quòd quemadmo-*
,, *dum aquæ gustu differunt, & pondere, ac statione,*
,, *sic quoq; uirtute aliæ alijs longè præstant. Te quidem hoc in loco apprimè scire puto* Hipp. *aquam le-*
,, *uem & grauem pondere haudquaquam intelligere,*
,, *quæ lance ponderatur, sed leuem, quæ uentrem mi-*
,, *nimè grauat, & citò permeat, testis est Galenus.*
,, V. *Aphorismorum cōmento 26. & in lib. de ptisa-*
,, *na: cui etiam astipulatur Auicennas in libello de re-*
,, *mouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine sani-*
,, *tatis eo cap. quo agit de regimine cibi in uniuersali. quid tibi uidetur Mathetes?* MAT. *id mea non interest, sed tua o Fescenni.* FES. *mi Mathetes iam*

diu te solerti ingenio, prudentiq; iudicio esse cognoui, alioqui te nunq; in meorum numerum adscripsissem: his utrisq; (ut aliás soles) nunc utitor, attentè ausculta, mox iudica: nam aliud est dicere, quod ab Hipp. leuis appelletur aqua, nō quæ pōdere leuis sit, sed quæ (ut Galenus exponit) citò calescit, ac refrigeratur: aliud, quod ubi τῷ σταθμῷ, quod est pondere, aquā ab aqua differre scribitur, non intelligi debeat ponderatio, quæ lance fit, sed ea, quæ uentrem minimè grauare, perq; eum citò meare significat: quippe hæc non est ponderis, sed sensus æstimatio, pro ut aquam celerius serius'ue calescere, refrigerariq; percipit, illa uerò ponderis, quo aquæ corpus, prout deorsum uelocius labitur, aut sursum prōptius fertur, metimur. illa igitur aquæ uirtutem, hac corpus perpendimus. Itaq; Hipp. aquas tùm uirtute, tùm pondere inter se distare docens, ut earum uirtutem ea ratione distinxit, quod aliæ alijs, citius calescant, frigescant'ue, ita pondus ea ponderatione, quæ statera fit, expendi uoluit: nec ponderis uoce ad caloris frigorisq; sensum translata usus est. addu cit Auicennam qui tantum abest, ut illi præsidio sit, ut omnino totam illius causam euertat; nam lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 16. de aquis loquens, inquit: et est

„ *in pondere leuis, & citò infrigidatur, & citò cale-*
„ *fit, propterea quòd est raræ substantiæ, calida in*
„ *hyeme, frigida in æstate, in qua nullo modo sapor*
„ *superat aliquis, neq; aliquis odor, & citò descendit*
„ *ab hypochondrijs, & quod in ea coquitur, citò coqui-*
„ *tur, & citò dissoluitur: debes autem scire, quod põ*
„ *dus ex experimentis est adiuuantibus ad cognoscen-*
„ *dum aquæ dispositionem: aqua namq;, quæ est le-*
„ *uior in plurimis dispositionum est melior: est autem,*
„ *cùm cognoscitur, si in duabus aquis diuersis duo pan*
„ *ni, aut duo cocta unius ponderis madefiant, et postea*
„ *uehementer exsiccentur, deinde ponderentur, quia a-*
„ *qua, cuius coctum fuerit leuius, erit melior. hæc* A-
uicennas: quem ille in suæ opinionis testimonium ci
tat: quum tamen contra q̃; arbitretur: pondere,
quod trutina monstrat, aquas dulces examinet. omit
to rationes, tùm quæ ex intensiori frigiditate, densi-
tateq́;, uel unius et eiusdẽ aquæ astrui possunt tùm
quæ ex dulcedine, quod neq; grauitatem, neq; leuita-
tem rebus afferat, ut in uino, melle, & alijs liquori-
bus uidere est. iam enim erubesco de his plura scri-
bere, quippe quæ notiora sunt, quàm in dubium reuo-
cari debuerint. MAT. *non possum in hac re tibi*
non consentire: sed quid ad Plinium *respondes?*

" tia inueniatur: quocirca Plinius inquit, ubi aquæ nullo ponderis momento inter se distant, tūc uix aliter, quàm sensu iudicari potest illarum leuitas, sensu uidelicet hominis, qui tùm gustu, tùm tactu caloris & frigoris (ut dicebam) illam experitur. ideò paulò inferius subiungit, quando perrarum est, non quod ubiq; perrarum sit; sed quando perrarum est in uno aliquo loco, ut altera sit leuior, quàm altera: tūc quia sunt pondere pares, ut posteà dicit, oportet ad sensum recurrere, præsertim ad eum, qui calidum, frigidumq; dijudicat. quamobrem ibidem (inquit) certior subtilitas inter pares meliorem esse, quæ cale fiat, refrigereturq; celerius. MAT. elegans interpretatio. BOE. ut ego arbitror, uera. Sed si Philetærus dixerit se intelligere aquas dulces omnes nullo ponderis momento inter se, distare, ubi saporum & odorum æqualiter expertes fuerint, ubi patiter frigidæ ubi similiter claræ. quid putas Fescennius respondebit? MA. quod Philetærus cauillatione utitur, quod item à proposito longe deflectit. Neq;.n. Plinius cui omnia ille tribuit de his loquitur: neq; disputatio de his (ut ab initio recensebam) instituta est, sed de aquis dulcibus omnibus quæ potui sunt communiter idoneæ.

ALEXANDRI
TRAIANI PETRONII
DIALOGVS ALTER
An homo ſit putridæ febri magis obnoxius, quam bruta ipſa, & an longioris uitæ, excepto Elephanto.

MATHETES, BOETHVS, FESCENNIVS.

BOE. *Sed quædam alia ſubſcribit, lego'ne.* MAT. *de aquis?* BOE. *minimè: ſed quòd homo non ſit putridæ febri obnoxius magis quàm bruta: quòd item lõgioris uitæ ſit, excepto Elephanto.* MAT. *qualia nam hæc ſunt o Feſcenni.* FESC. *pridie quàm dictũ ſcriptum mihi daret, mihi obuiam fit, tùm ut ſoleo rei literariæ ſtudioſos ſorte quadã interrogo qui fieri poſſit, ut homo magis, quàm bruta procliuis ſit in putridam febrem? indies enim quamplurimos uidemus leui quouis momento in febrem à putredine, & ſæpius abſq; periculo incidere: neminem eam, qua*

pueros crescere dicunt, effugere; quinimmò in quibusdam Africæ locis (ut nouarum Hispaniarum scriptores perhibent) homines ab ortu naturæ ad usq; uitæ extremum octanis, decumanis ue febribus perpetuò corripi. bruta raò admodum, ac semper cum magno uitæ discrimine febrire. tùm ille respondit Leonem ex Plinij sententia quartana febre semper laborare: proinde falsum esse, quòd homo in febrem putridam magis promptus sit: mox addidit hominem longioris uitæ, quàm bruta, præter Elephantum esse: id Aristotelem in libro de extensione & breuitate uitæ affirmare, qua de causa uerisimile non esse, ut homo putredini magis sit obnoxius: quia non longæuus, sed uitæ breuis esset. MAT. *tu interim quid?* FESC. *nihil aliud, quàm quòd ita opinabar: causam aliàs explicaturus: sed quòd Leo quartana semper laboraret nunquàm me legisse, deinde quòd fama erat, cerunm, coruum, & pleraq; alia animalia diutius quàm hominem uiuere, quin immò quod à senioribus nostris acceperam nautas forte quadam ad insulam paruam appulisse nauim, in illa tùm herbis, tùm arboribus abundante, igne maximo ex arboribus decisis succenso, statim totam tremuisse insulam, nautis id mirantibus compertum fuisse dorsum*

amplissimi ceti esse, quam insulam putauerant. hunc à maris fluctibus illuc pulsum retrocedere propter immensam magnitudinem in altum nequiuisse. eminens igitur illius dorsum, quod aqua nunquàm attingebat quoniam longè inferius ad costas duntaxat fluitabat, in insulam prædictam euasisse. id non nisi longissimo temporis spatio potuisse fieri credendum est, si uera nobis illi tradiderunt. MAT. *hæc pulchra fabella est: ego quoq; memini ab alijs audiuisse, sed quid scri*
,, *bit Philetærus?* BOE. *hæc; ex eodem Plinio etiam*
,, *colligo animalia quædam febre nũquàm carere, quod*
,, *pluris momenti est, quàm Leonem quartana febre cõ*
,, *torqueri; proinde non amplius addubitabis, cur ho-*
,, *mo frequentius sit putredini, seu febri seu corruptio-*
,, *ni obnoxius (ex his enim uelim, ut non minus inqui-*
,, *rendi, quàm disserendi latissimum habeas campum)*
,, *si quidem lib. 28. cap. x. circa principium, dum sibi a-*
,, *nimus inclinat recensere in Medicina nostra ea om*
,, *nia remedia, quæ ex capris habentur: ità inquit, mil*
,, *lia præterea remediorum ex eo animali demonstran*
,, *tur, sicut apparebit, quod equidem miror, quum fe-*
,, *bri negetur carere. ex quibus igitur conceptis uerbis*
,, *te iudicem uolo, ut elicias, utrum homo frequentius*
,, *febricitet.* De Leone *uerò, nisi somnum tempus pe*

„ *tiſſet, non tantum Plinij, ſed aliorum aſſertiones in*
„ *hāc farraginem etiam congeſiſſem, uerùm hoc aliàs.*
„ *At quoniam pertinaciter contendebas ceruum, & balenam longiori tempore, quàm hominem uitā pro-*
„ *trahere me ex aduerſo in contrariam ſententiam eunte, legas quæſo, ac rurſus legas Ariſt. in libello*
„ *de longitudine & breuitate uitæ cap. 2. ubi non tan-*
„ *tùm accipies inter animalia omnia, quæ longiſſimè ui-*
„ *uunt eſſe hominem & Elephantum, ſed etiam ex ſo-*
„ *lerti Ariſtotelis uerborum intellectione cùm grano ſa-*
„ *lis (ut dixi) tui propoſiti problematis explicationem*
„ *conſequeris, quæ longè diſtat ab eo, quod tibi in men-*
„ *tem uenit. leges etiam eundem Ariſtotelem prima*
„ *ſectione problematū. 19. problemate, ubi habet, quòd*
„ *pueri, qui ſuapte natura humidi & calidi ſunt, ideò*
„ *uehementer feruescunt. poſſum quoq; aſſerere ſolum*
„ *hominem inter cætera animalia uino uti, & multa*
„ *alia adijcere ex authoribus, atqui nunc nunc dormi-*
„ *re incipio; hucusq; Philetærus.* MAT. *de Leonis quartana quò minus tùm ſcripſerit, propter ſomnum excuſat ſe, aliás id ipſum ſe oſtenſurum pollicitans.* FESC. *ubi expergiſcetur, ut hoc apud Plinium mi-nus inueniet; ità minus uerum eſſe fatebitur; niſi forte Leonis quartanam putet, quòd is cibo immode-*

ratè admodum utitur, multa deuorat solida sine ullo dissectu, postea (ut. 8. de animalium historia cap. 5.
,, *narrat Arist.) nihil biduo, aut certè triduo edit, fer*
,, *re enim inediam potest. ut qui iam ad multam satietatem repletus est.* MAT. *profectò illud ego quoq; neq; ab alijs audiui, neq; usq; legi, sed quid ais in id, quod capra febri carere negetur?* FESC. *id (ut Græci dicunt)* παρεργὸν ἐστὶ, *quod est, à proposito declinat: quippe aliud est polliceri quòd Leo quartana semper laboret, se esse ostensurum: aliud, quòd capra sine febri nunquam sit monstrare, & illud omittere. quum de capra nulla fuerit inter nos contentio.* MAT. *hoc testimonio utitur ad probandum, quòd homo non sit magis pronus in febrem putrem, quàm bruta: hoc pacto ad rem facit, quid igitur dicis?* FESC. *hic propter uocem error fit: nosti enim febrem apud medicos morbum esse, morbum ab eisdem uocari præter naturam affectum, qui primò lædit operationes, sed tantum abest, ut capra huiusmodi affectu perpetuò laboret, ut ridiculum sit id ipsum asserere; quippe quæ interim fœtus esu optimos pariat, & lac suauissimum nobis præbeat, neq; minus actiones, quæ bruto cuiq; ad sanitatē necessariæ sunt, exerceat.* MAT. *de qua febre loquitur Plinius.*

FESC.

FES. de febre nõ uera, quæ translatiuo nomine nũcupatur febris, sic enim (ut arbitror) opinabatur Archelaus, à quo dein Plinius illud forsan accepit, ut pote quòd capra ualde calida suapte natura sit, & in speciem gracilis, atq; ossibus sub pelle semper eminentibus. per huiusmodi febrem quæsito nostro respondere, est à proposito egredi: id enim est, cur putridæ febri, quæ præter naturam affectio est, primò lædens operationes, homo magis obnoxius sit, quàm bruta? quorum hactenus cognitionem habuerimus. MAT. quãnã esse putas huius quæsiti causam? FES. hanc ego nunc ab alijs quæro, ubi quæsiuerim (quod propediem spero futurum) illius explicationem nequaquàm procrastinabo: nunc uideo Boethum huius quæsiti soluendi desiderio anhelare, illum interroga. MAT. Boethe? BOE. concedo propositum, non nego, quemadmodum Philetærus: huius ego nunc ex tempore tres causas reperio, elige, quæ magis placet, prima est huiusmodi: fingamus putredini æquè atq; hominem subijci bruta, hæc nimis frequenter ægrotarent; quis ergo illis mederetur? MAT. istud quidem facetum est. BOE. Altera est, quia homo calidæ & humidæ est temperaturæ quippe quæ putredini potissimum est obnoxia. ut Galenus quoq;

,, *Meth. 8. cap. 7. innuit, cùm inquit, ad aliud corporum*
,, *temperamētum transeamus, quod nihil minus, quàm*
,, *supradictum uitioso est succo, in quo scilicet calidum*
,, *prævalet frigido, & humidum sicco, maximè enim*
,, *omnium putredinis morbis hæc intemperies exposita*
,, *est, propterea quòd per ipsam sanitatem proximè pu*
,, *tredini accedit, ueluti tùm ex sudoribus conijcere est,*
,, *qui grauiter his olent tùm uerò ex urinis, deiectione,*
,, *atq; etiam ipsa expiratione, etenim qualis est hirco-*
,, *rum talis est et talium naturarum temperies, ideóq;*
,, *prompta est ex qualibet occasione tùm alijs morbis,*
,, *tùm uerò febribus corripi: nam qui hac intemperie*
,, *sunt, cùm stipata cutis eorum est, effugere febrim*
,, *non possunt: item primo de differentijs febriū cap. 8.*
,, *inquit, promptissimè putrescunt quæcunq; calida &*
,, *humida, atq; in locis calidis nisi difflari, ac refrige-*
,, *rari contigerit.* MAT. *id nimis remotum est ab ea*
causa, quam propriam appellamus, & quam maximè
quærimus: primùm, quia non æquè notum est esse ho
minem calidæ humidæq; temperaturæ ad alia anima
lia comparatum, atq; ab initio sumitur. deinde quia nō
calida humidáq; per se sola putredinē accersere pos-
sunt: aer namq; calidæ, & humidæ naturæ est,
non tamen putredini expositus magis est, quàm aqua

uel terra: quinimmò (ut lib. de extensione & breuitate uitæ narrat Arist.) minus putrescit, quàm reliqua elementa: præter ignem (inquit enim) & idcirco pinguia non putrescunt, quoniam aeris sunt, porrò aer ad alia, ut ignis est: ignis uerò non putrescit. BOE. si neutra arridet tibi, tertiam accipe, quòd homo in salubriore uictu utitur, quàm bruta, & propter animi cogitationem inordinato: ne dicam, quòd cutis eius raritas admodum confert ad ea, quæ forinsecus occurrunt recipienda. MAT. in salubriore utitur gallina, quæ humano stercore, serpentibus uenenatis, scorpionibus, & alijs huiusmodi uescitur: insalubriore, porcus, qui nullum genus alimentorum refugit: utrunq; minus, quàm homo, putredini paratum est. quod de ordine non seruato addis, id ipsum non magis putredinem, quàm aliud malum inducit: & sunt bruta quamplurima, quæ inordinatè uictitant, si non propter animi cogitationem, certè propterea quòd alimentum modò promptum habent, modò non habent, ut canis, lupus, felis, miluus, aquila, putredini tamen, quemadmodum homo non sunt obnoxia: raritas cutis, si contempleris, intrinseca, tantum abest, ut putredinem augeat, ut eam difflato corpore potius tollat, sin extrinseca, nihil cogit, ut non hoc uel

illud sed putredo sola sequatur; Verùm hæc iam omittamus. superest, ut dicatur de uitæ extẽsione corui, cerui, balenæ, hominis, elephanti, deq; eo, quod Arist. super his scriptum reliquit: quid tu inquis mi Fescenni? FESC. his ferè omnibus esse satis possunt carmina illa, quæ inter epigrammata Vergilio ascripta censentur, ea se hunc habent in modum.

,, Ter binos, deciesq; nouem superexit in annos,
,, Iusta senescentum, quos implet uita uirorum:
,, Hos nouies superat uiuendo garrula cornix,
,, Et quater egreditur cornicis sæcula ceruus;
,, Alipedem ceruum ter uincit coruus, at illum
,, Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales,
,, Quam uos perpetuò decies præuertitis æuo,
,, Nymphæ Amadryades, quarum longissima uita est,
,, Cætera secreti nouit Deus arbiter æui.

In his ætatem cognoscimus, tùm hominis, tùm cerui, & multorum animalium terrestrium ac stirpium, quas Amaryadum nomine accipimus, hominéq; multa esse uiuaciora: de cerui quoq; uita longa, magnũ est illud argumentum, quod Alexander Magnus (ut fertur) torques aureos plurimis ceruis innexuit, qui post annum centesimum capti, adopertis in cute torquibus, ne dum senij indicium præ se ferebant: pisces

etiam aliquos diutissimè uiuere illinc confirmari potest, quòd delphines, balenæ, Orcæ à Nedio Pollione in Cæsaris Piscinam coniecti (ut aiunt) post sexagesimum expirarunt annum. MAT. hæc ita sint, ut dicis, quid ad Arist? FESC. in his locis, quos iste citat, hoc est in lib. de extensione & breuitate uitæ, nunquàm inuenitur scriptum esse hominem uitæ diuturnioris, quàm cætera animalia præter elephantem, sed diuturnitatem in animalibus terrestribus magis, quàm in aquatilibus esse statuens, in exemplum subdit, ut homo, & elephas, non autem inquit, quòd homo sit magis longæuus excepto elephanto: uerba
,, eius hæc sunt, omnino autem uitæ diuturnitas in ip-
,, sis præcipuè stirpibus, ut palma, & cupressu, mox in
,, animalibus sanguine præditis magis quàm illo ca-
,, rentibus, & terrestribus magis, q; aquatilibus: quo
,, circa si isthæc copulentur, in sanguine certè prædi-
,, tis, & terrestribus animalium reperiuntur diutur-
,, niora, ut homo est & elephas: paulòq; inferius, &
,, ob hanc rem longæuus magis homo est, quàm pleraq;
,, animalia. hæc & huiusmodi scribit in his locis Aristoteles: nunquàm uerò, quòd homo diuturnior sit cæteris excepto elephanto: sed condonemus hoc ipsi Philetæro, quippe qui amicus noster est: amico autem

ueritas cælari non debet: Arist. enim 4. de genera
,, tione animalium cap.x. homo plus temporis (inquit)
,, quàm quoduis animal uiuit, excepto elephanto: hunc
locum liccet in suis scriptis non citet, eius tamen no-
mine nos ipsi citauimus, ut res, de qua inter nos quæ-
ritur, clariùs intelligatur. MAT. ille ergo tua ope
ra iam assecutus est, quod secundum Arist. probare
nitebatur. FESC. profectò sic esset, nisi uerbis illis
,, Arist. statim adderet, quod quidem usu adhuc fide
,, digno nouerimus: itaq; non omnino ità esse asserit,
ut Philetærus existimat, sed quatenus à fide dignis
accepit: id, quod longè aliud est, quàm dicere,
quòd Arist. in lib. de extensione & breuitate uitæ
scribat hominem esse magis longæuum, quàm reliqua
animalia excepto elephanto, cæterùm colligere homi-
nem minus esse diuturnæ uitæ, si putredini tàm fre
quenter sit obnoxius, signum est non meminisse eum
eiusdem authoris in eodem libro, quem contra me ci-
tat, scribentis ualetudinarios nihil prohibere esse lon
gæuos; quid uerò ex problematibus, quid'ue ex eo,
quod uino utatur homo, uelit elicere non significauit,
quia ut scribit, somno impediebatur: expectabimus
igitur ut expergiscatur, si quid deinde scripserit, ad
id, ut ad prædicta respondere conabimur.

ALEXANDRI
TRAIANI PETRONII
DIALOGVS TERTIVS

Super quintæ Sectionis Aphoris. 47. si uterus in coxam uergens &c.

BOETHVS, FESCENNIVS ALETHES.

BOETH. *Si quemadmodum in his Plinij uerbis, per quàm obscuris, quæ dudum nobis explicasti; ita te gesseris in exponendis Aphorismis, quos, ut à quibusdam audio, luculentius, quàm à quoquam hucusq; factum sit, interpretaris: non solùm ego, sed uniuersus Medicorum cætus, magno applausu tibi gratias aget; uereor tamen (quod pace tuo dixerim) ne ij uel propter amorem erga te summum, uel propter suam imperitiam hallucinentur: ne'ue plus multò dicant, quã res habeat, qui ità de te prædicant: præsertim cùm nobis aliqui referant te in his à Gal. sæpius recede-*

re: aliqui contra illum inuehi: id quod à me & à Medicis omnibus scelus esse putatur; caue ne deci- piaris, mi Fescenni, ille enim quicquid Hypp. arte di gnum reliquit, exactissimè omnium commentatus est, explicuit, ac dilucidauit: ne igitur permittas, ut posthac ab alijs audiam te dicere aphorismos aliquos à Galeno perperàm expositos fuisse, aut in aliqua hunc eundem errasse: nam ille (ut proximè dixi) & aphorismos optimè declarauit, & cætera fermè omnia, quæ ad Medicinam spectãt, aptissimè docuit. FESC. sit sanè, ut ais: ego quidem teneo, quid alij sentiant, quid agam, habeo: sed nolim te eo animo in me esse, ut opineris, quòd Galenum conuicijs inse- qui studeam: hunc ego non minus, quàm tu, atq; alij probatissimi Medici, & respicio, & suspicio: non satis me pernosti etiam qualis sim Boethe? quocirca non miror, si isthæc tibi de me incidit suspitio: Cæ terùm cur te iudice mihi non licet interdum à Gale- no recedere: quem nostræ ætatis Anatomici, quos tu quoq; magnopere probas, tàm sæpe lacessunt? ex his enim nullum deprehendes, qui non sæpius scribat, aut dicat, in his Galenus errauit, de his obscurè lo cutus est, illa perperàm scripsit: cur igitur mihi ui- tio uertetur, si eum neq; uerbis lacerem, neq; temerè

accusem

accusem: sed in quibus illum relinquere, quàm imitari melius est, alios admoneam, præsertim in hoc ministerio, quod salutis causa posteris traditur: ne qui decipiantur eadem ratione, qua pleriq; antè decepti sunt. BOE. ea in quibus Anatomici Galenum iure reprehendunt, nostris oculis manifesta sunt, in promptu statim uidere est, uera'ne, an falsa sint: utrum ità quoq; tu facias ualde ambigo, præcipuè in aphorismis, qui difficillimi sunt: quod si facis, uelim ex his aliquem, quod tuo commodo fiat, mihi nunc explices, ut intelligamus, quam de te spem re uera capere possimus. FESC. ego, quantum in me est, paratus sum, modò quæ responderim, æquo animo accipias; non in peiorem partem rapias. BOE. hæc missa facias, ad rem accedamus: nosti arbitror quintæ Sectionis Aphorismum. 47. hic mihi semper difficillimus uisus est: hunc in modum scribitur Græcè quidem, ἢν ὑςέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι: latinè uerò,
„ si uterus in coxam uergens supperetur, necesse
„ est linamentum fieri. hinc multæ dubitationes nascuntur: prima, utrum ad curationem, an ad prognosticum spectet hic aphorismus: altera, si ad curationem, ut Galeno uidetur, quum linamentum per

linea fila curationem in hoc loco uocet, hancq; tùm necessariam, tùm non obscuram esse asserat: quis medicus est, obsecro, qui utrumq; aut etiam alterutrum nouerit? interroga chirurgos, interroga uocatos physicos; nihilo plus scies, quàm quòd nec clara sit, nec necessaria, tantum abest, ut hoc, uel illud, uel utrumq; sit: deinde, quod subiungit, præsertim ad exteriora, neq; id scribit Hypp. *neq; si scriberet, ob id necessarium esset, quum longè alijs præsidijs curari possit: Galeni uerba sunt*. *Quàm necessarium*
„ *est fieri per linea fila curationem* ἔμμοτον *hoc est*
„ *linamentum nominauit, quod autem uterus suppuratus & præsertim ad exteriora (nam hoc nunc dicere uidetur) curatione tali ex necessitate indigebit,*
„ *non est obscurum, hæc Galenus. quæ (ut dixi) tot dubijs scatent.* FESC. *adde, quòd Græcam uocem* ἔμμοτον *interpretatur linamentum, id uix unquàm apud* Hypp. *reperies?* BOET. *& si Fescenni minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuæ, patiere tamen, mihiq; ignosces, non enim possum quin exclamem quod paulo ante uerebar te neq; ueris neq; manifestis sed fictis rationibus aduersus Galenum contendere: audes illum de Græco uocabulo accusare, qui circiter sexaginta nouem libros*

de græcis uocibus scripsit? qui omnium consensu inter scriptores Græcos elegantissimus, luculentissimus, eruditissimus habetur? in hac re Galeno magis, quàm tibi credere iustum est. FESC. Pergis isthuc prius dijudicare quàm scias quid ueri sit: spero equidem antequam præsens disputatio absoluatur, fore, ut facilè cognoscas, an ego quoq; quid rectum, & quid non rectum sit in Græca lingua iudicare possim. interea, ut à me satis tibi fiat: in primis oportet non ignorare, quomodo uterus supperatus dicatur, mox utrum in coxã uergens semper suppuretur. BOET: utrumq; opportunum est. FESC. deinde utrum quoties suppuratur, necessariò ulceratus fiat. BOE. in hoc longè à proposito recedis, quorsum enim ad hunc aphorismum hoc pertinet? ne uerbum quidem hic de ulcerato siue ab Hypp. siue à Galeno factum est? FES. mox audies BOE. expecto, quid dicas. FES. uterus ceu uenter quidam est, in hoc tùm uentriculo, tùm thoraci similis est: recipit thorax sanguinem nunc intra substãtiam propriam, nunc intra cauitatem, sic etiam uentriculus, atq; uterus. BOE. quid tùm? FES. utrouis modo si sanguis in thorace in pus euadat, thorax suppurari dicitur. BOE. nihil mirum. FES. hoc idem si utero, si

uentriculo contingat, suppuratus uterus, suppuratus uentriculus uocabitur. BOE. *uocetur.* FESC. *at propriè suppuratus erit thorax, uentriculus, uterus, ubi propriam intra substantiam pus cōtinuerit.* BO. *sit ità, quid inde?* FES. *ut quot modis suppuretur uterus, quod determinandum esse ducebamus, intelligatur. an uerò quoties in coxam uergit, semper suppuretur (id enim erat alterum, quod deinceps inquirebamus) statim notum fiet, si obstetrices consulamus, si libros de muliebribus morbis* Hypp. *ascriptos non negligamus: ex utrisq; accipiemus aliquando suppurari, & aliquando non suppurari: hoc postremum, quod magis dubitādum uidetur ex secundo de mulie-*
" *bribus morbis manifestum fit: ubi sic legitur quibus-*
" *cunq; uteri ad coxam collabuntur, si non breui discen-*
" *dant, & rursus in locum suum redeant, ad coxam*
" *resiccantur, & quæ sequuntur: id etiam uerisimile est euenire, tùm aniculis, quæ menstruis omnino priuatæ sunt, tùm puellis, quæ illa nunquàm expertæ adhuc impubes existunt, quia enim sanguis in earū uteros non delegatur, facile est, si in coxam interea uergant, ut minimè suppurentur.* His *expeditis iā abs te peto, ubi suppuratus est uterus, an ulceratus necessariò fiat?* BOE. *quid hoc, quod dicis ulcera-*

tum significat? FESC. latinis æquè est, ac ulcere affectum: nobis noua nomina fingere nolentibus, sed antiqua pro uirili imitantibus, sit ad sermonis claritatem, idem, quod ulcere siue diuturno siue cauo exedenteq́; affectum: putas'ne igitur si uterus suppuretur, quòd necessariò in ulcera exedentia cauaq́; labatur? an etiam in ulcera propriè dicta? quum ulcus, ut Ammonius in libro περὶ διαφόρων λέξεων*, ac Suidas in suo opere scriptum reliquerunt, affectio diuturna sit. BOE. non adhuc, si namq́; suppurari dicatur, quia sanguis in eius cauitate contentus in pus mutatur, quemadmodum uentriculum, si illuc sanguis repat, & suppuretur, non necessarium est ulcerari, ità nec uterum. pus enim illud patentibus uijs tùm è uentriculo, tùm ex utero potest celerius pelli foras, quàm spatium sortiri, ut partem, cui inhæret, corrodat & ulceret: neq; etiam abscessu in uteri propria substantia orto, si suppuratio sequatur, necessario in ulcus incidet: pus namq́; in parte aliqua collectũ quandoq́; resolui potest, ut. 13. meth. cap. 5. et. 3.* κατὰ τόπους *cap. 2. ac lib. de inæquali intemperie cap. 3. Galenus monet: quin etiam si locus rumpatur, mox expurgato pure celeriter glutinetur, ulcus, quod modò diuturnam affectionem esse*

hæret, erodit. BOET. *ita est; obsecro, dissolue iam mea dubia, nimis diu enim pendent.* FES. *contra Galenum rectè sunt: contra* Hypp.*minimè? quippe* Hypp. *aliud intelligit, Galenus aliud commẽtatur: hic ad curationẽ dirigit aphorismũ, ille ad prognosticũ.*BOET.*quo id mõ fieri põt?*FES.*si uox illa* ἔμμοτον *in aphorismo non Galenica statera, sed Hyppocratica trutina examinetur: quod, ut magis explicatè tractetur, obsurdũ non sit græcũ nomẽ emmoton in latina interpretatione seruare, ut ità dicamus si uterus in coxam uergens suppuretur, necesse est emmoton fieri.* BOET. *idem saxum reuoluis, dudum diximus maiorem fidem Galeno, quàm tibi dandam in hoc esse.* F.E S C. *ego sanè uix ferre possum supinam illorum negligentiam, qui dum* Hyppocratem *interpretantur, uocum, quæ notæ sunt eorum, quæ ab eodem scribuntur, nullam omnino rationem habent: si obscuræ sint, non declarant: si alibi apud eundem inueniantur, non admonent.* BOE. *quis hoc in Galeno reprehendet? nosti librũ ab eodem de uocibus* Hypp.*editũ.*FES. *noui quidem, sed neq; illic, neq; hic, quid emmoton* Hypp. *significet, explicauit:* BOE. *quin immò in hoc loco idipsum apertè præstitit, inquit enim, emmo*

ton significare per linea fila curationē, seu uelis me dicamentum, quod lineis filis excipitur. FESC. non hoc nego, sed id nihil ad mentem Hypp. qui locis cō‑ pluribus hac eadē uoce utitur, quæ si Galenus addu‑ xisset, omnem ex nostris oculis caliginem amouisset. quippe Galenus, ut multis placet, & in genere neu‑ tro, & pro substantiuo nomen id usurpat; quum re uera & adiectiuum sit, et pro adiectiuo hic sumi de‑ beat. ne indigneris si has minutias ueritatis inda‑ gandæ causa nunc recenseam: itaq; tùm in libro de muliebri natura tū in 2. de muliebribus morbis utro‑
„ biq; de uuluis Hypp. loquens uuluæ, inquit, suppu
„ rantur, & emmotæ fiunt: in utroq; libro, ut patet, adiectiuum est, non substantiuum. BOET. hi non sunt genuini Hypp. libri, sed spurij. FES. sunt anti‑ qui authoris. BOE. non sunt Hypp. apud hunc repe ri; huic soli citra Galenum credo. FESC. neq; for san hoc nobis deerit: librū de articulis perlege, ibi de his, quibus costa fracta est, nūc scriptū inuenies, neq;
„ suppurati, neq; emmoti fiunt, nunc & suppurati, &
„ emmoti fiunt, rursum ἐκπυήματα χρόνια καὶ ἐμ‑
„ μοτα γίνεται, quæ tùm omnia, tùm singula satis superq; ostendunt, nomen emmoton apud Hypp. non esse substantiuum (quicquid alij aliter asseuerent) sed

sed adiectiuũ, et omnis sanè generis. ALETHES. *ego id Galeno nequaquàm tribuerem, nunquàm sanè dixerim, quòd ignorarit, an uocabulum istud sit adiectiuum, præsertim cùm ex uerbis etiam, quibus ad huius aphorismi expositionem utitur, non difficile sit id ipsum elicere, quòd pace aliorum eius interpretum quia hoc ipsum prætermiserunt, dictum sit: uerba eius hæc sunt, τὴν δεησομένην τῆς διὰ τῶν μότων θεραπείας ἔμμοτον ὠνόμασεν: quod est indigentem eius, quæ per linea fila curatio fit, emmoton nominauit, ac si diceret, uuluã egenam eius, quæ per linea fila curatio fit, emmotam nominauit: dico uuluam fœminino genere, nõ autem uterum, quia in hoc loco ὑστέρ, quod est uterus, fœminini generis est, & τὴν δεησομένην, fœminini.* BOE. *quid refert mea? quid etiam Galeni, quem maximè imitari studeo, quo genere emmoton dicam, aut in quas extremas literas declinem? sed hoc planè uelim addiscere, an aliud sit emmoton, quàm quod Galenus doceat, & quo sensu id uocabulum hic dicatur ab Hypp. ne rẽ medicam, ubi maximè interest, alia, quam oportet, uoce appellemus.* FES. *nisi loca quædam, in quibus uocabulum id apud Hipp. scribitur, percurramus difficile admodum erit id nosse.*

BOET. age. FES. Referam tùm quæ in spurijs, tùm quæ in genuinis habentur, ut ex his (modò fieri possit) aliquid effatu dignum excerpere ualeamus: in libro de muliebri natura, ità de uuluis scri-
„ ptum inuenitur, πολλάκις δὲ καὶ ἐκπυΐσκονται
„ ἔμμοτοι γενόμεναι, καὶ ῥεόμεναι ἀποθνήσκουσιν,
„ ἢν μὴ καύσῃς, ἢ τάμῃς, quod est, plerunq; autem
„ & suppurantur emmotæ factæ, & fluentes mori-
„ untur, si non usseris, aut secueris: in secundo de mu-
„ liebribus morbis, καὶ ἐκπυΐσκονται, καὶ ἔμμοται
„ γίνονται, καὶ ὄλλωνται, ἢν μή τι τάμῃς, ἢ καύ-
„ σῃς. i. & suppurantur et emmotæ fiunt, & pereunt:
„ nisi quid seces, aut uras: in libro de articulis de his,
„ quibus costa fracta est, ἀτὰρ οὐδὲ αἷμα πολλοὶ
„ ἤδη ἔπτυσαν, οὐδὲ ἔμπυοι πολλοὶ γίνονται οὐδὲ
„ ἔμμοτοι, οὐδὲ ἐπισφακελίσιες τῶν ὀστέων, hoc est,
sed neq; sanguinem multi iam expuerunt, neq; sup-
purati multi fiunt, neq; emmoti, neq; ossium syde-
„ rationes: paulò inferius, πολλοὶ γοῦν ἤδη βηχώ-
„ δεες καὶ φυματίαι, καὶ ἔμπυοι ἐγένοντο, καὶ ἡ
„ πλευρὴ ἐπισφακέλισεν αὐτοῖσιν, hoc est, multi igi-
„ tur tussiculosi, & abscessu affecti, & suppurati,
„ & emmoti euaserunt, in costæq; syderationem inci-
„ derunt. omitto, quod alibi: περὶ δὲ σφακελισμοῦ

,, (inquit) ἄιμα τὸ τῶν ἐμμότων ἐντρείη εὑρίσκεται,
,, & alibi, ἢν δὲ ἀμφιφλασθῇ, φυματίαι, καὶ βη=
,, χώδεες, καὶ ἔμμοτοι, καὶ ἡ πλευρὴ ἐσφακέλι=
,, σεν. *his positis perscrutemur singula, pro uoce emmoti ponamus orationem, tùm eam, quàm Alethes noster, tùm illam, quam alij interpretes iuxta Galenũ recensent: primùm in eo, quod de uuluis scribitur, id experiamur: subinde in ijs, in quibus costa fracta est: itaq; ubi legitur emmotæ factæ, scribas per linea fila curationes factæ, dicas lineis filis excepta medicamenta factæ: neq; uerba congruunt, neq; sententiæ alicui, quæ recta sit, respondent: scribas (ut Alethes asserit) egenæ per linea fila curationis factæ, tantundem est. nam si contemplemur eam, quæ in his locis, uuluis emmotis curatio adhibetur, ne uerbum quidem ullum eius, quæ per linea fila curatio fit, ibidem inueniemus. eadem ratio est eorũ, quibus costa fracta est: dicas pro eo, quod scribitur, emmoti euaserunt: per linea fila curationes, aut lineis filis excepta medicamenta, aut egeni per linea fila curationis euaserunt, ad eũdem lapidem offendimus: his accedit, quod in suppuratis ex sanguine per tussim reiecto, nemo unquam per linea fila curatione usus est, aut utitur: in ijs, inquam, quibus intus fa-*

ctum est uulnus: uana enim est, & omnino fieri non potest. BOE. sit emmoton adiectiuum, quid tandem significat? FESC. à Græcis, quibus de uocibus scribere, curæ fuit, primò petēdum id est, mox ab Hypp. si fieri potest, eliciendum. Tùm Hesichius, tùm Phauorinus emmoton, idest, uulneratum interpretantur: nos secundum Hypp. in his locis ulceratum dicere possumus, tùm quia medici Græci, è quorum numero Galenus quoq; est, uulnus pro ulcere, & ulcus pro uulnere, sæpius usurpant: tùm etiam, quia si in eisdem locis ubi emmoti uel emmotæ legitur, scribatur ulcerati uel ulceratæ, pro ut suppositū, cui adhæret, requirit: & sermonis series plana fit, & sensus rei, quam explicat, apprimè respondet; ac si dixeris, uteri suppurati fiunt & ulcerati: sanguinem expuentes suppurati fiunt et ulcerati: modò memineris eius, quod ab initio statuebamus, diuturnam affectionem ulcus uocari, proinde ulceratos æquè dici, ac ulcere diuturno affectos. BOE. undenam id nomen emmoton deriuatur, ità ut ulceratnm aliqua uerisimilitudine significet? FESC. si etymologiam sequamur nihil aliud inueniemus, quàm τὸ ἐν idest, in, aut intra: & μοτὸς. i. penicillus, utpotè quod penicillum in se appetat, aut capere possit, quemadmodum

multa alia nomina, ut ἔμβιος, ἔμψυχος, ἐνσώματος, sed ut primùm uitæ, alterum animæ, tertium corporis capax esse significat, ita emmotos idem quod δεκτικὸς τοῦ μοτοῦ. i. penicilli capax significabit: tale tùm uulnus, tùm ulcus est, & non modò diuturnum ulcus, sed cauum, atq; exedens, utrunq; enim turundam. i. penicillum requirit, & capit. BOET. hoc idem Galenus quoq; dicit, quippe qui emmoton significare scribit in hoc aphorismo (ut inquit Alethes) indigentem per linea fila curationis: quid enim id interest ab eo, quod est dicere capacem penicilli, siue capacem per linea fila curationis? FESC. si hoc pacto indigens accipiatur, ut penicilli susceptionem requirat, non tamen, ut necessariò illum suscipiat: profectò idem est utrumq;, scilicet capacem esse penicilli, et indigentē esse per linea fila curationis: Verū Galenus non solū id in hoc aphorismo censet, sed quòd curatio huiusmodi necessaria sit ad uterum suppuratum: inquit enim, quòd uterus suppuratus (ut supra quoq; scriptum est) curatione tali ex necessitate indigebit, non est obscurum. sed ut Hypp. talem curationem (ut iam unicuiq; apertum esse potest) in hoc aphorismo nequaq̄; intelligit: ità nunq̄; ad uterum hoc modo suppuratum (ut opinor) hanc eandem somniauit, ne dum unquàm scripserit, aut

dixerit. BOET. *ad aphorismum?* FESC. *hic (ut proximè dixi) ad prognosticum pertinet: licet enim à Galeno ad curationem dirigatur: hæc tamen quia neq; manifesta, neq; necessaria est utero suppurato (ut contra illum superius dubitabas) ad huius aphorismi expositionem admitti non debet: atq; eò minus si authorem de muliebri natura, ac de muliebribus morbis legerimus: ubi uteri in coxam uergentis iam suppurati atq; emmoti curationem instituit: nunq; enim inueniemus oportere fieri per linea fila curationem: quippe quæ si necessaria fuisset, præ cæteris utiq; ab eodem ibidem scripta esset. uellem igitur, ut posthabitis animi affectibus, inuidia, ira, odio, rem omnem omnes (quod sine molestia tua dicam) amicè & beneuolè tractaremus: Sic enim rei ueritas facile innotesceret, nobis & posteris non parum utilitatis afferremus: alioqui sēper in tenebris uersabimur, putātesq; alijs auxiliari maximè officiemus. itaq; utero in coxam uergente, ubi suppuratio contingit, quid inde futurum sit, hoc aphorismo* Hypp. *docet, id quod est, necessariò ulceratum fieri. Si enim non imaginationem, non nugas, non contentionem,* sed Hypp. *atq; ipsam ueritatem sequi uelimus: oportet eodem modo hic emmoton sumere, quo in prædictis locis accipitur: accipitur uerò pro eo, quod est*

ulceratum, ulceratum igitur emmoton in hoc aphorismo significabit: perinde ac si scripsisset, si uterus in coxam uergens suppuretur, necesse est ulceratum fieri: id quod tùm ex alijs, tùm præcipuè ex secundo de muliebribus morbis perspicuum fit: ferè enim idem ipsum, quod hic, illic legitur: latinè scribam, ut communis interpretatio se habet: si uteri contingant coxam, & incumbant, dura ac solida fit coxa ad lateris mollitudinem, & dolores imi uentris, et ad ipsam lateris mollitudinem, & in lumbos ac crura incidit, ac extenditur, & suppurantur, & emmoti idest, ulcerati fiunt, & pereunt, nisi quid seces, aut uras. hæc Hyppocrates: *aut si quis alius certè antiquissimus: id quod eò magis mirum est, quia si reliquam curationem perlegeris (ut ante quoq; dixi) nullam huius curationis, quam per linamenta concerpta fieri Galenus autumat, mentionem ibi fieri deprehendes. neq; obijcias, quòd* Hyppocrates *nihil nos doceat, si aphorismus, ita ut nos interpretamur, intelligatur, ut poste quod per se notum sit, Si uterus suppuretur ulceratum fieri: puto, namq; meministi, mihi tecum paulò superius conuenisse, uterum quidem suppurari posse, sed inde ulcerari necessarium non esse, quippe ubi pus exitum sortitur facilem, illud sequi necesse minus*

est: ubi retinetur moram nimiam trahens magis pu trescit, magisq; exedit partem, cui inest, atq; ulcerat necessariò. ALET. quomodo id cognoscitur. FES. ubi sciuerimus uterum in coxam uergere; id quod ta ctu ipso sentitur, deinde per eius osculum puris ali-quid prodire: non enim illud et si distortum arctūq; est, omnino tamen obstructum esse oportet: his uisis statim prædicere possumus uterum ulceratum iri; ex quibus omnibus clarè patet primùm eos à græca lin-gua longissimè aberrare, qui emmoton adiectiuum cū eo, quod substantiuum est, confundunt, quandoquidem adiectiuum nunc uulneratum, nunc ulceratum signifi-cat, substantiuum uerò linamentum siue penicillum: deinde interpretes Hyppocratis omnes quot sunt, quotq; fuerunt, neminem excipio, maximè deliquisse, & quod deterius est noxia hominibus documenta scri ptis mandasse, qui tùm in præcedentibus locis, tùm in hoc aphorismo pro eo quod est emmoton, linamen-tum siue linamentis utentem, uel linamentarium, uel indigentem curationis, quæ per linea fila fit exposue runt; qui perperàm interpretati tùm hanc dictionē, tùm plerasq; alias, Hyppocratē delyra scribere mul torum animis persuaserunt: cum non hic, sed illi ta lia scribant: proinde mirum non est, si tantus au-

thor

thor ueluti obsoletus, ab his omnibus negligatur; sed hos spero posthac cognituros se apertè falsos esse, eos uerò qui Hyppocratem non histrionico more, sed re uera imitantur minimè deceptos. cæterùm hæc tùm in Galenum, tùm in reliquos Hyppocratis interpretes ueritas ipsa coegit me dicere, sed inuitus certè dixi, quia non offendēdi, sed defendendi, quoad fieri potest, mihi est animus: atq; eam defensionem in animum induxi maximam, quam maximè seruire aliorum commodis. ALETH. nusquam ità quisq; planè adeo expertus est, quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet noui, aliquid moneat, ut illa quæ te scire credas, nescias: & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies, quod mihi nūc euenit: Nam ego uitam omnem in Galeno consumpsi, huic soli studij, huic soli fidem hucusq; habui: nunc propè iam exacta ætate, dum hæc quæ Fescennius refert, ausculto, mutare institutum cogor, atq; in his (tāta est ueritatis uis) à Galeno, quē tātopere colui, desciscere. proinde mirari satis non possum illorum malignitatem, qui hæc à Fescennio nobis tam utiliter tradita iniquè obseruant, rapiunt in peiorem partem. quod hoc hominum genus est? quæ hæc coniuratio? huic uitio dāt, quod tùm in hoc aphorismo, tùm in plerisq; alijs

Galeno contradicat: aduersus hos nihil aliud dicendum, quàm quòd indicio de se ipsa res erit: alij erunt iudices. hunc irrident tanquam eum, qui medicinam ac si nusquam esset, innouare conetur. Sed ut is, qui rubiginem ob temporis iniuriam Achillis galeæ inhærentem, exterebat galeam ipsam non innouabat, neque is qui telã a phidiæ minerua, ne ab aspicientibus uideretur circumductam amouebat, nouam illã de integro monstrabat, sed talẽ qualis erat uterque uidentibus reddebat: ita hic dum ab artis Medicæ inuentis uelum quod forte uetustas obduxit, detegit: dũ hæc eadẽ ab ineptijs, a mendacijs, quæ interpretũ causa nunc præ se ferre uidentur, expurgat, nihil sanè dicit, aut inauditum Hippocrati, aut cuiquam Asclepiadarum nouum, sed illa eadem illustrat, aptáque & uera, qualia uideri debent, omnibus monstrat. ea uerò quæ in mediũ profert, quiuis ex Asclepiadarũ familia (ut reor) illis percunctantibus responderet; id quod non est Medicinam, ut iniqui arbitrantur, nouã inuenire, sed illam ab optimis inuentam alia tamẽ specie occultatam, alijs palàm facere; Hunc etiã damnant, quòd paucis medicis consentiat, cum multis pugnet: his responsum sit, primùm ex medicis multos esse uelut histriones: perpaucos ueros: deinde non

in ciuile quidem esse in rebus, quæ non operibus, sed tantum uerbis inhærent, magis eligere cum multis errare, quam cum paucis benedicere: quia in his error non facti est, sed uerbi: contra uerò in illis, quæ non uerbo, sed opere absoluuntur, quemadmodum est Medicina, iniustissimum simul ac pessimum esse, malle cum multis alicui nocere, quàm cum paucis eidem benefacere. uituperant insuper, quòd proprias rationes nimis mordicus tueatur: hæ si tales sint, quales in hoc aphorismo uidemus: ij contrà potius uituperandi sunt, ac digni pœna, qui id, quod rectum est, iniustè accusant; deniq; negligant, culpent maledicant, odio habeant, persequantur, nunquàm postshac poterunt, quousq; Fescennius rectè dicit, aut scribit, ab eo me adducere, & transdere in nugas: nunquàm mihi persuadebunt, ut pro ueris falsa eligam pro certis dubia sequar, pro utilibus noxia admittam, & tandem ut pro malis, bona relinquam.

ALEXANDRI
TRAIANI PETRONII
DIALOGVS QVARTVS.

In quo Aphorismus quartæ Sectionis. 43. exponitur.

BOETHVS. ALETHES. MATHETES.

BOE. *Aphorismum, quem dudum Fescennius declarauit, eum quidem Hyppocraticæ doctrinæ non ignarum ostendit: sed qualem sui discipuli prædicant esse, adhuc nobis non persuadet: quum unus tantum sit: Altero certè opus esset, ut res hæc duobus testibus approbata, tùm à suis, tùm ab alienis æquè admitteretur.* ALET. *mihi planè satis est unus ille: ab uno enim disco omnes: si tu plura uis: Mathetem eius discipulum, en coràm est, interroga: puto pro sua benignitate tibi nihil denegaturum.* BO. *iamdiu noui te o Mathetes à Fescenni latere nunquàm discedere, accepisti ne unquàm ab illo quid sentiret de Aphorismo quartæ Sectionis. 43. qui*

hunc in modum habet, οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ δια-
,, λείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, ἐπι-
,, κίνδυνοι, ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, ση-
,, μαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι, *quod est*, ,, *febres quæcunque*
,, *non intermittentes per tertium uehementiores fiunt*,
,, *periculosæ: quocunque autem modo intermiserint, si-*
,, *gnificat, quòd non periculosæ*. MAT. *accepi*. BO.
posses ne mihi nunc narrare. MAT. *possem sanè: modò tu idoneus sis auditor*. BO. *cur non sim, iam diu enim medicinam exerceo*. MAT. *ut ille dicere solet, multi citharam diu pulsarunt, adhuc tamen malè pulsant; oportet exercitationem ab initio esse rectam, quæ deinde quantò diuturnior, tantò perfectior est*. BO. *quænam est hæc exercitatio ab initio recta?* MAT. *ut ab his incipias, quæ sensui inhærent, non autem opinioni, quæ si quis tibi negauerit, in promptu habeas, cui innitaris: hæc non ex suppositione fit, sed ex necessitate, idest, ex hominis natura ità exigente: in hac nullam aliam certitudinem inuenies, quàm corporis sensum. nam quicunque Medicinam discere conantur, suppositionem sibi ipsis secundum rationem citra sensum constituentes, ij nihil fermè à chymistis differunt, qui supponentes ità esse id, quod efficere tantopere student, nescientes ue-*

rò an ità sit, illius conficiendi rationem prius construunt, quàm quis antè sit rem ipsam assecutus. proinde mirum non est, si tùm ij, tùm illi grauiter errent: itaq; in uniuersum his, quæ fiunt inhærere oportet; & circa hæc uel maximè uersari eum, qui hanc rectam Medicinæ exercitationem adipisci cupit. BO. quorsum hæc ò Mathetes? MAT. ut idoneus auditor fias eorum, quæ dicturus sum, ne quum propositum aphorismum perpendimus, nostra disputatio interturbetur: scio enim, sæpius respondebis, ut multi hac nostra ætate solent: id, si hanc rationem spectemus, uerum, si illam, minime, aut quid simile. BO. nescio quam ob rem, quòd ità interdum respondeam, miraculo tibi sit: quum philosophi omnes passim asseuerent rem eandem diuersis rationibus tùm esse, tùm non esse tale quiddam. MAT. longè secius, ò Boethe; Medicina, quæ ars est, habet, hæc non uanæ rationi, sed operi, quod sensui patet, innititur: nam si quid prædicendum, aut faciendum iubet, id ut re ipsa succedat, oportet. BO. quid obstat, quominus hac ratione succedat, illa uerò nequaquam? MAT. nihil sanè, modò ut dicitur, eueniat, si uerò nusquàm contingat, Medicinæ nō est: quia enim Medicinæ præceptum operatio ipsa est, quæ nunc præcognitioni

nunc actioni respondet: ubi præcipit in exemplum, quòd urinæ perturbatæ capitis dolorem significent: ita præcipit, ut præcognitionem istam, quæ ueluti quædam operatio est, effectus ipse, hoc est capitis dolor, sequatur: alioqui si non sequatur, non est artis, cuius finis est agere, siue rectius dicas facere. BOE. *ego tales urinas sæpius uidi, neq; tamē affuit capitis dolor, quod fieri nequit, nisi una ratione capitis dolorem significent, altera non significent.* MA. *esto, quod dicis: ratio tamen tùm illa, qua significāt, tùm altera, qua non significant, ab artifice sciri debet, ut intelligat, quando uere prædicere possit capitis dolorem, & quando non uerè, qui utrumq; nouerit, is urinis apparentibus perturbatis decipietur ne prædicens capitis dolorem?* B O. *minime.* MAT. *hic enim conditiones omnes quæ requiruntur ad id prædicendum rectè intelligens, æquè prædicet capitis dolorem, ac si hunc eundem, ità dicam, operaretur: quandoquidem secundum artem aliquid prædicere nihil differt ab eo quod est secūdum prædictionem illud idem re uera succedere, alioqui id non est secundum artem prædicere, sed secundum opinionem. itaq; quicquid ab arte traditur, id siue ad præcognitionem, siue ad curationem pertinet, id ita*

Ju ap5 ... 13

traditur ut quũ in id cui tribuitur, ab artifice diri- gitur, æquè ſuccedat, atq; ab arte præcipitur. quod ſi aliter fiat: aut illud non eſt artis, aut à profeſſo- re non intelligitur. ut in exemplo propoſito, urinæ perturbatæ capitis dolorem ſignificant: his apparen tibus ſi capitis dolor non affuerit: aut profeſſor hal lucinatur, aut artis non eſt, quod ſcribitur. BO. *quo modo diſtinguemus, an profeſſor erret, an quod ar- tis eſſe ponitur, non ſit artis?* MAT. *non eſt ar- tis, ubi ſenſui non conſentit: ubi per multum tem- pus non eſt productum, ubi ex ſuppoſitione inuen- tum eſt, ubi poſtquàm explicatum eſt, non facilè in- telligitur, ubi periculoſum eſt, & ubiq; locorum mini me uerùm. profeſſor uerò circa id errare manife- ſtè perſpicitur, ubi idipſum exponens ab auditoribus non intelligitur, aut ſi intelligitur, periculoſum ali- quid aut difficilè factu docet: quod deinde neq; re, ne que ſenſu, ſed ſola probans ratione, ubi experiri con tendit, multò ſæpius perq; multos ægros fallitur. quemadmodum in hoc aphoriſmo, quem à me referen dum, prout* Feſcennius *expoſuit, petis: complures ac ferè omnes* Medicinæ *profeſſores labi, errare, de- cipiq; deprehendes: alij enim obſcura docent, alij ea, quæ multò ſæpius non ſuccedunt, quàm ſuccedant: ita*

ut

ut affirmare cogamur aut id non esse artis inuẽtum, aut interpretes falli. BO. Artis inuentum ego esse arbitror: nam ea, quæ artis sunt, aphorismis præcipuè traduntur: sed cur interpretes in hoc falluntur? MAT. non'ne hic aphorismus ad prognosticũ de febribus attinet? BOE. attinet. MAT. quale hoc est? BOE. primò, quòd omnes febres continuæ, quæ tertio quoq; die uehementiores fiunt, periculosæ sunt: Deinde, quòd omnes febres intermittentes periculo uacant. MAT. quod secundo loco dicitur, quis ità explanat? BO. & Galenus, & omnes Hyppocratis interpretes. MAT. Galenus quidem (omisso alios) de tertianis intermittentibus hoc duntaxat interpretari uidetur: quippe qui suo in hunc aphorismum commentario, quod Hyppocrates (inquit) per uerbum intermittere, accessiones intelligat, quæ in quietem febre uacantem desinunt, manifestum fecit in hoc aphorismo febres illas, quæ per tertiã accenduntur, si quouis modo quieuerint, inquiens esse absq; periculo. BO. Si Galenum tùm hic, tùm alibi, ubi huius rei meminit, diligenter legeris, statim fateberis, quod dixi, febres omnes intermittentes ex Galeni sententià periculo uacare: hic namq; post ea uerba, quæ tu in medium adduxisti: solæ enim (in

quit) illæ, quæ in quietem febre uacantem desinunt, periculo carent: deinde paulò inferius causam addit inquiens, ut quæ non ex inflammatione, neq; ex maligna humorum putredine occasionem habent. hæc causa, cùm non magis conueniat tertianis, quàm reliquis intermittentibus, clarè docet, quod febrium nomine, quæ in quietem desinunt febre uacantem tùm tertianas, tùm reliquas intermittentes complectatur, ut alijs quoq; suis commentarijs memoriæ prodidit, etenim lib. de morborum temporibus cap. 5. his expressit uerbis, si igitur, ut dixi, natura periculo uacant, quæ ad integritatem desinunt, sicut in libris de febribus ostendimus, non aliud Hypp. *intermittere nominauit, quàm ad integritatem finire: hoc idem 3. commentario in primum epidem. tex. 5. testatur inquiens, lethalem semitertianam esse aperte* Hyppocrates *ipse dixit, febrium uerò ad integritatem uenientium lethalem esse nullam in aphorismis clarè docuit, his uerbis, febres quæ non intermittentes tertio die ingrauescunt, sunt periculosæ: quocunq; autem modò intermiserint, periculum abesse significatur: huic simile est, quod secundo commentario in sex.* Epid. 23. *scriptum reliquit, non tamen quampiam ex febribus in integritatem desinentibus ab* Hyppo-

,, crate ſemitertianā uocari cōcedemus, iſtæ nāq; ſecu
,, ræ sūt, ſemitertiana uerò periculoſa: hæc Galenus.
quippe qui probans ſemitertianam non eſſe intermit
tentem, quia periculo non uacat, apertè declarat,
quod opinetur omnes intermittētes periculo uacare,
,, ut etiam uerba illa demonſtrant primo epid. febrium
,, ad integritatem uenientiū lethalem eſſe nullam. ex
quibus iā manifeſtū eſt non ſolùm tertianas febres,
ſed reliquas omnes intermittentes authore Galeno
uacare periculo. MAT. id uerò mihi ſummam af-
fert difficultatem: paſſim enim experimur multas
intermittentes tùm periculoſas, tùm lethales eſſe:
quemadmodum apud Hyppocratem epid. 3. plures
ægros legimus, quibus febris intermiſit, periſſe: nem
pe Hermocratem, Eurianactis filiam, Parium quē-
dam: quemadmodum etiam quotidie cernimus mul-
tos capite uulneratos, deinde intermittente febre
correptos nihilominus interire. Præterea febris quo
tidiana, febris nocturna, febris diurna, febris quin-
tana, ſingulæ ſunt intermittentes, & ſingulæ ſunt
periculoſæ. Galenus enim ac ſi ueritas eum cogeret
primo ad Glauconem cap. 8. ex intermittentibus ue
,, ro (inquit) breuiſſima quidem ac mitiſſima eſt ter-
,, tiana, longior autem ac quantum in ipſa eſt, haud-

,, quaquam periculosa quartana: quotidiana uerò lon-
,, ga, & non sine periculo, deinde epidem. primo sec.
,, 3. com. 6. quæ uidebantur nocturnæ tribuere laudi,
,, hæc ipsa nō minus uitio uertit, eo quod Hyppocrates
,, non simpliciter dixerit, nocturna non est lethalis, sed
,, addiderit non admodum: nam si non ualde est letha
,, lis, liquet mediocriter lethalem esse: diurnam uerò
,, non modò nocturna esse longiorem dixit, sed etiam es
,, se quum ad tabem uergat, ut uel ea conditione sit de-
,, terior. Hæc Galenus, qui cùm dicat nocturnam es-
se mediocriter lethalem, & diurnam deteriorem: clarum est has febres non uacare periculo. Ad hæc
,, Hypp. epid. primo Sec. 3. Quintana (inquit) pes-
,, sima est omnium: etenim & ante tabem & iam ta-
,, bidis superueniens interimit, hæc uerò similiter
intermittens est. BO. his omnibus unicum respon-
sum satis est: nempè quod natura sua febris omnis intermittens periculo uacat, ut libro de morb. temp.
,, loco superius citato Gal. docet inquiēs, si natura pe
,, riculo uacant, quæ ad integritatem desinunt, & quæ
,, sequuntur, sic etiam primo ad Glauc. cap. 8. dice-
,, bat, quartana, quantum in ipsa est, haudquaquam
,, periculosa, & epid. primo sec. 3. nunc quoq; de qui-
,, bus Hypp. agit febribus sic accipe institutam ora-

,, tionem : quandoquidem ex liene sæpenumero grauis
,, ter uidimus homines febre laborasse quartana, ac
,, deinde collecta aqua inter cutem esse defunctos, sed
,, ipsa per se quartana periculo uacat. itaq; responsio sit intermittentem febrem omnem suapte natura periculo uacare: aliunde uerò, quod per accidens uocant periculosam esse, nihil prohibere. Nam quis putet, quod intermissio periculum afferat? quippe intermissionis spatio febris expers homo est: qua igitur sine febre est: quis dicet eum à febre periclitari. MAT. si ita esset, quo maior fieret intermissio, magis distaret periculum, in quintana maior est intermissio, quàm in quartana, hæc tamen, ut inquit Hyppocrates, secura est, illa periculosa. Præterea qui comitiali morbo laborat, dum intermittit, huius mali expers est: dices ne eundem à periculo quod morbus hic minatur, liberum per id tempus esse? BO. dicam equidem: quid enim mali habet? MAT. hæc intermissio significat'ne illum periculo solutum, quod comitialis adferre potest? BOE. minimè. MAT. quid igitur significat? BOE. quod hoc temporis interuallo, ubi non ægrotat, sine malo est, uolo dicere sine periculo est. MAT. rectius profecto sine malo est dixeris, quàm sine periculo: nam per id tem-

pus potest'ne hoc malo capi? BO. potest. MAT. non ergo est absq; periculo. BO. dico, quatenus co= mitialis intermittit, ob comitalem in periculo non uersari. MAT. quum id malum ubi semel cœpit sæ pe redire soleat. an quum intermittit, omnino pericu= lum abest? BOE. minime. MAT. intermissio igi= tur nequaq; significabit abesse periculum. BOE. in febribus, quæ intermittunt ô Mathetes longè aliter quàm in comitiali se habet intermissio: hic enim li= cet intermittat, sua tamen natura periculum semper minatur: febris uerò, cùm intermittit, sua natura (ut proximè dicebam) sine periculo est. MAT. cu ius partes nunc geris o Boethe? Medici, an philoso= phi? BO. Medici. MAT. secundũ naturam respon dere nisi hæc quoq; sensui simul nota sit, non est Me= dici sed philosophi. Medici enim proprie est secundũ artem quæ sensui tantum inhæret: quo fit ut si id probare uelis secundum artem esse hoc est quod fe= bris omnis intermittẽs periculo uacet, per ea quæ sen su experientiaq; cognita sunt respondeas oportet: non autem per ipsam naturam solam simplicem nudam sine sensus experientiæq; testimonio. BO. ego non uideo, quomodo aliter respondere possim. MAT. esto, quòd secundum naturam (ut dicis) febris om=

nis intermittens periculo uacet: ea, quæ secundum naturã sunt, aut semper, aut frequẽter sunt: nocturna febris est intermittens, ista igitur periculo semper, aut frequenter uacabit? eadem est quintanæ, quotidianæ, diurnæq; ratio. Si alterum dictorum uerũ sit, hoc est, ut semper, aut frequenter periculo uacet: falsum est, atq; ab arte omnino alienum, quòd Hyppocrates quintanam esse lethalem scripserit: Galenus uerò nocturnam, diurnamq;, & quotidianam periculosam: debebat enim uterq; apposuisse aduerbiũ rarò, aut aliquando, si nulla earum semper, aut frequenter periculosa est. BOE. hæ omnes ratione eorum, quæ superueniunt, periculosæ sunt, intermissionis uerò nequaquàm. MAT. mutatis uocibus quæstioni non fit satis: idem enim saxum reuoluis: si nãq; his, quæ fiunt (ut antè quoq; diximus) in arte medica inhærere oportet, quum hæ febres contingunt nocturna, inquam, diurna, quintana, quotidiana, quæro, sæpius'ne fiat, ut periculum absit, an nõ. BOE. non MAT. quid ergo refert dicere, ratione intermissionis periculum abesse, ratione symptomatum non abesse? si quis tibi illud negauerit, cui argumento inniteris, ut idipsum probes? si nudæ naturæ, non agis, ut medicus; sin sensui, contrarium

sæpius fieri deprehendes, nempè multò frequentius adesse periculum, quàm abesse: ad hæc si febris intermittens per se sola sine alienis symptomatibus periculo uacat, dico sine alienis, quia quælibet febris habet propria: potest'ne medicus sensu distinguere, quando sine alienis est symptomatibus, quæ periculum afferunt, aut non? si non potest: uanum est illud inter artis inuenta numerare: si potest, fingamus nocturnam esse febrim: hæc per se sola cum suis, inquam, symptomatibus, non cum alienis ducet hominem in periculum, an non? diurna item, quæ deterior, quàm nocturna esse ab illo statuitur, ubi sola est, an erit periculosa? fingamus quintana detineri hominem, ducet eum in periculum nec'ne? negas? quomodo Hypp. scribit? quintana pessima omnium est, etenim ante tabem, & iam tabidis superueniens perimit? si ducit ad tabem, non'ne ducit ad periculũ? ex his patet longè alienum a ratione esse, quod alij dicunt, intermittentem febrem per se non perimere quemq;, sed quia illi superuenit continua febris, aut dolor insignis, aut fluor aliquis, aut quid tale perniciosum, perimere: non'ne hi uident intermittentem febrem illuc hominem duxisse? nisi enim exempli causa nocturna, uel quintana tã diu homo laborasset,

utiq; non incidiſſet in tabem, deinde in mortem: ſed non minus in hoc, quàm in illo decipiuntur, quod putant, iccirco febrem intermittentem periculo uacare quoniam ſpatium præbet ægro, ut reficiatur: Si enim ſpatium breuiſſimum fuerit, ut puta trium, aut duarum horarum, quemadmodum uſu uenire ſolet, quis ſanæ mentis dicet ægrum poſſe per id tempus ità refici, ut periculum abſit? itaq; quum quintana, quotidiana, nocturna, diurna, et ſi febres ſunt intermittentes, ſecundum ſenſum tamen; quo ſolo ars Medica ad iudicandum utitur, periculo non uacent: quum multos ægros, quibus febris intermiſit tum Hyppo*cratis ætate periſſe deprehendamus, tùm his noſtris temporibus paſſim uideamus, perſpicuum eſt, non eſſe artis* Medicæ *inuentum, quòd febris omnis intermittens periculo uacet: ita ut magna me ſubeat admiratio, tùm quod* Gal. *id ipſum ſcriptum reliquerit, tùm quod reliqui poſteriores, hunc ſecuti fuerint;* BO. *ſecuti ſunt* Hyppocratem, *qui in hoc aphoriſmo inquit, febres quouis modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificari: ſi enim quouis modo facta intermiſſione nihil prohibet, quin periculum abſit; ſequitur, ut neq; quotidiana duas horas; aut tres intermittens ſit periculoſa: neq; nocturna; quæ diem intermittit:*

neq; diurna, quæ noctem, neq; quintana, quæ tres dies; sed hæc, cum inter se ità pugnent, ualde anceps sum: nec scio, quid agam: nec habeo, quem sequi possim, undiq; sunt angustiæ: quippe Galenũ aliosq; interpretes contraria tùm sensui, tùm sibi ipsis scribere iam suspicamur: si ad Hyppocratem confugiam, similes ambages occurrunt: non minus enim hic, quàm illi, pugnantia dicere uidetur: in hoc namq; aphorismo febrem quouis modo intermittentem periculo uacare docet, contrà uerò Epid. primo Sec. 3. quintanam intermittentem febrium omniũ pessimam esse atq; lethalem. res est tot controuersijs implicata: Agè obsecro mi Mathetes, quæ nam est de hoc aphorismo Fescennij sententia? putat'ne sicut Gal. aliosq; interpretes ità Hypp. pugnantia scribere. MAT. minimè. BO. quo hæc modo extricat? MAT. primò, quòd apud Hyppocratem nusquàm scriptum inueniatur, febrem omnem intermittentem periculo uacare: deinde quòd longe aliter habeat huius aphorismi explicatio, quàm Galenus, cæteriq; expositores tradiderint. BO. qui dicit, febris quocunq; modo intermiserit, periculum abesse significari: non'ne dicit febrem omnem intermittentem sine periculo esse? MA. quid ni? BO. in

aphorismo ita Hyppocrates dicit. MAT. *si diligenter animaduertas, aliter senties: sed si prius recensuerimus id, quod* Fescennius *in hoc aphorismo admonere solet: nempè periculum pro salutis quidem discrimine sumi, sed id, quoniam nunc sensui manifestum est, nunc non manifestum, pro ut sensu percipitur accipi debere: alioqui ad artem minimè pertinere: quod enim sub sensum non cadit, ab arte probari non posse. licet igitur continuæ febres, quæ tertio quoq; die exacerbantur, ferè omnes salutis discrimen ægrotantibus afferre queant: ex his tamen aliquæ obscurè, aliquæ manifestè illud afferunt.* BO. *ubi tertiana continua est, quis dubitabit, an æger periclitetur?* MAT. *dices'ne fore, ut ille certò in periculum incidat.* BO. *non certò, sed facilè.* MAT. *aliud est facile, aliud certò periclitari, siue aliud obscurè, aliud manifestè: ab omni namq; tertiana continua periclitari quidē potest aliquis: sed ab hac obscurè, ab illa manifestè, siue ab hac dubiè, ab illa certè; interea quoq; si concedamus ab omni tertiana intermittente periculum abesse significari, dicemus ab hac certè, ab illa dubiè, ut in exemplum ab exquisita manifestè, a spuria, obscurè.* BO. *a, quanam continua tertiana certè seu manifestè periculum immi-*

net? MAT. ab ea, quæ tertio quoq; die magis intenditur, cuius accessio posterior multò uehementior, quàm prior gradatim ascendendo fit, in exemplum primo die aliquis febre continenter afficitur, secundò ferè eadem est, tertio magis uehemens, quarto similis aut paulò minor, quinto longè uehementior his omnibus, quæ præcesserunt, atq; ità deinceps: hoc si fiat, periclitatur æger aut non? BO. maximè. MAT. manifestè, an obscurè? BO. non modò manifestè, sed manifestissimè: quis enim non uidet, ubi gradatim ascendit exacerbatio, non posse hominem illi resistere. MAT. sed si febris hæc sanguinis fluore, siue alui profluuio, aut uomitu, aut quouis alio modo statim desistat, fractoq; impetu penitus intermittat, quid sperandum? erit'ne etiam tùm periculosa? BO. quæ febris? illa continua? MAT. illa BO. quonam pacto continua febris erit intermittens? hic enim (ut logici dicunt) oppositio est in adiecto, nempè ut febris nõ intermittẽs intermittat. MA. si Aristotelis memineris in sophisticas redargutiones scribẽtis, id tibi admirationi minus erit: secundum diuisionem enim febrem non intermittentem uocamus intermittentem, ut puta, quæ ante fuit non intermittens, posteà intermisit: quemadmodum in hoc casu.

BO. nunc rem ipsam habeo: repete obsecro, quod quærebas. MAT. febris ista, quæ antè hac contiꝫnuè & gradatim tertio quoq; die magis augescebat, si iam in summo suo uigore penitus intermiserit, tiꝫmebis'ne denuò periculum ægro afferat. BOE. quia ità repentè decidit tota, uigorq; illius omnis corruit, uerisimile est periculũ omne, quod imminebat discesꝫsisse. MAT. uerisimile est, inquis? id certum est, an incertum? BO. non audeo in hac re adeò distinꝫctè, atq; explicatè respondere mi Mathetes. MA. febris ista ubi maximè intendebatur, per quos dies intendebatur? pares an impares? BO. per impaꝫres. MAT. Agè quæso, quum morbi omnibus dieꝫbus moueri soleant, quibus tamen magna ex parꝫte mouentur? imparibus an paribus? BOET. & paribus et imparibus. MAT. sed natura, quibus? BO. tũ paribus, tùm imparibus: intra enim uicesimũ quarto, decimoquarto, et uigesimo natura mouentur: hi uerò pares dies sunt. MAT. intra hunc præfini tum terminum utri plures? pares an impares? BO. impares, nempè tertius quintus, 7.9.11.17. MA. febres per quos dies frequentius exacerbantur per pares, an impares? BO, adeò est efficax in his imparitas, ut si per pares exacerbentur, imparitatis serꝫ

uent rationem : quæ enim quartò die primùm exa-cerbantur, dein sexto redeunt, mox octauo, 10. 12. 14. atq; ita deinceps : die altero magis, altero minus infensæ sunt. MAT. *unde id euenire putas?* BO. *hæc quæstio tempus & spatium postulat, neu trum modò datur : dicam ex improuiso cum authore de morbis lib. 4. id ab hominis natura fieri, quippe quæ tertio quoq; die affligentem humorem solet ex-pellere : febres igitur præsertim eæ, quæ ab hoc o-riuntur, si tertiò quoq; die magis exacerbentur, id a natura contingit, quæ cum humore illi repugnante luctatur : ita ut per impares dies exagitatio maior, non sine naturæ actione moueri uideatur.* MAT. *si exacerbationes, quæ diebus imparibus fiunt, signa sunt potissimum naturæ cum morbo certantis : quò magis eæ gradatim augentur, eò magis tum naturæ, tùm morbi uires intendi necesse est, illius quidem ad salutem, huius uerò ad interitum: finge in hoc certa-mine alterutrius conatum semel penitus corruere : id cuius uires omnino ceciderunt, dicemus?* BO. *ui-ctum esse:* MAT. *si denuo pugna aliqua inter hæc accendatur, timebimus ne uictor à uicto superetur?* BO. *minimè. quod enim quum ualidius erat, uictum est, id nunc multò facilius uincetur, quippe quod in*

priori pugna debilius euaſit. Id illinc notum eſt, quia omnino defecit. MAT. *quid ergo dicendum?*BOE. *id quod in ſuo maximo conatu penitus defecit, alteri non poſſe rurſum officere, proinde hoc in tuto eſſe, illud iam ſuperatum fruſtra niti quicquid iterum cõtra conetur.* MAT. *certè hæc aſſereres?* BO. *certè.* MAT. *ne te pigeat, mihi ſimilia repetenti reſpondere. duo uiri mutuò colluctentur, ambo potentes, prima hora ſe ualde concutiant: ſecunda complexi quidem unà maneant, ſed non ita ſe agitent uehementer: tertia multò maximè ſe inuicẽ premant, trudant, propellant: quarta eodem modo perdurent: quinta tantus ſit utriuſq; nixus, ut nemo caſum alterius non formidet: ſexta alter deficientibus uiribus cadat: ſeptima qui cecidit reſurgat, repentè aggrediatur uictorem, tùm unà iterum colluctentur: quid ſperandum? periculum ne imminet, prior uictor cadat an non?* BO. *niſi locus ſit lubricus, aut tale aliquid forinſecus accidat, fieri non poteſt, ut cadat: ut enim illum longè ualidiorem ſuperauit, ita debiliorem iam factum penitus obruet, ne dum ab illo uincatur.* MAT. *certè?* BOE. *quidni?* MAT. *ita euenit mi Boethe (ut Feſcennius docet) in febribus continuis, quæ tertio quoq; die magis magiſq; intendun-*

tur: hæ enim interea dum ità aſcendunt, periculoſæ ſunt, ubi ſemel intermiſerint, quouis modo idipſum contigerit, ſignum eſt, periculum omne quod illæ minabantur abyſſe: poſtq; enim natura morbum debellauit, & reſtitit: qui fieri poteſt, ut eidem deinceps illa ſuccumbat? niſi quid extrinſecus adueniat, ut puta potio aliqua importuna, cibus noxius, nunciũ malum, caſus trabis, & huiuſmodi exteriora, quæ interminata ſunt. Hypp. *igitur hoc præſenti aphoriſmo de huiuſmodi febre ſemper loquens, quæ tertio quoq; die magis augetur, duo præcognoſcenda nobis oſtendit: primùm, quòd hæc ità gradatim creſcens periculum uitæ minatur, alterum, quòd hæc eadem ſi quo modo (ut diximus) intermiſerit, periculum illud quod minabatur abyſſe ſignificat: ut ipſa uerborum ſeries ordóq; demonſtrant: quæ hunc in modum habent, febres quæcunq; non intermittentes per tertium uehementiores fiunt, periculoſæ, quocũq; autem modo intermiſerint, hæ (inquàm) non intermittentes, quæ per tertium uehementiores fiunt, ſignificat, quòd non ſunt periculoſæ. id, quod ſi alij animaduertiſſent, neq; tot controuerſijs* Hypp. *intricaſſent, neq; tot tamq; apertis nugis addiſcentium animis illuſiſſent, neq; nobis in hoc aphoriſmo explicando*

cādo laborandū fuisset; ipsi enim dixissent nequaq; in eo ab Hyppocrate doceri febrem omnem intermittentem periculo uacare, sed febrem continuam, quæ tertio quoq; die magis magisq; intenditur, periculum quidem minari, ubi uerò intermiserit, quocunq; id fiat modo, periculum illud abesse significari. quo pacto propositæ omnes dubitationes non solùm soluuntur, sed penitus corruunt, atq; abolentur. & æq; perspicuum est, ubi febris huiusmodi non intermittit, periculum imminere, atq; ubi intermiserit, abesse. non enim obscurè, ut in alijs multis, sed manifestè utrūq; perspicitur, quemadmodum omne artis inuentum esse oportere supra posuimus. Cæterùm tùm Galenum tùm reliquos omnes Hyppocratis interpretes ad id, ut dicerent, omnem febrim intermittentem periculo uacare, adduxerunt uerba illa, quocunq; autem modo intermiserint: quippe quæ à primo supposito separantes, non pro uno & eodem, ut Hyppocratis mens erat, sed pro duobus tāquàm differentibus, proprio arbitratu absq; ulla fermè ratione acceperunt, & pro manifestis dubia & obscura nobis tradiderunt. sed his omnibus æquè accidit, ac illis qui rem aliquam existere prius imaginantur, quàm illam antea reperiri unquàm cognouerint. id genus eorum

hominum est, qui, ut aliquid intelligendum esse sibi in animum induxerunt, ità fieri oportere semper contendunt. ex quo si absurda aliqua sequantur, nihilominus in sua pertinacia perseuerant, parui admodum pendentes, an benè male'ue tueantur, modò id, quod ab initio sibi proposuerunt, peruincant. quum longè aliter fieri tùm naturæ, tùm utilitatis habita ratione expediret, nempè primùm inuestigare, an quod sibi persuadent, in rebus ipsis inueniatur, deinde ubi comperissent, ità esse comprobare. proinde ÿ magno errore tenentur, qui dum Hypp. aphorismos discere uolunt, apud se soli animo uoluunt, quid illi polliceantur, nihil æstimantes an id in ægris sanis'ue passim reperiatur. nam (ut Fescennius dicere solet) aphorismos intelligere nõ est illorum uerba conceptæ opinioni adaptare, sed id quod insinuãt, tùm in ægris, tùm in sanis re ipsa inuenire.

ALEXANDRI
TRAIANI PETRONII
DIALOGVS QVINTVS.

Super Galeni uerbis 4. de affectis locis cap. 5. ſi pluribus diebus aliquis cruorem &c.

MATHETES. BOETHVS.

MAT. *Omitte has rationes* Boe*the : ſunt enim (quod ſine tua moleſtia dicam) nullius momenti. Quo iure uis conſiderandum eſſe, an ſanguiſuga in faucibus ægroti* Aceſtis *hæreat ? ex quo ſanguinē tùm ſcreando, tùm nares mungendo pluribus diebus reddiderit, & neq; capitis dolorem, neq; grauitatem, neq; ictum paſſus fuerit ?* BOE. *quia ſi dolor, aut grauitas, aut ictus præceſſiſſet : ſanguis per os, aut nares reijci poſſet, illius cauſa, quod præceſſit. nunc uerò quia nullum horum adeſt, &* Aceſtes *iam pluribus diebus ſanguinem tùm excreat, tùm emungit : non inepta ratione ducimur, ſi aſſeramus poſſe à ſanguiſuga intra fauces manen-*

te id euenire. MAT. Non'ne potest ab ulcere, uel in faucibus, uel in narium meatibus orto, idipsum contingere? non'ne item à uena sanguiflua, quæ ueluti diapedesim in his partibus excitet? cur igitur magis speculandum iubes, an insit sanguisuga, quàm ulcus, aut uena sanguiflua? præsertim quum Acestes nunquàm in locis, ubi sanguisugæ sint, fuerit: neque unquàm aquas, in quibus eæ natare solent, hauserit. An putas non posse tùm ulcus, tùm uenam sanguifluam in his partibus gigni absq; capitis dolore, uel grauitate, uel ictu? an etiam inficiaris id, quod æstate ipsa sæpenumero uidemus, adolescentes quotidie sanguinem per nares emungere, absq; eo, quod caput doleant, aut grauitatem, aut ictum in illo patiantur? num tibi quoq; æquè ac nobis interdum usuuenit, ut uideris ab ulcere intra fauces genito sanguinem per os, aut nares excerni, nullo dum præcedente capitis dolore, aut grauitate, aut ictu? Deniq; nescio, quænam ars, quæúe coniectura sit: quæ docet, ubi pluribus diebus sanguinem aliquis excreauerit, & emunxerit, huiusq; caput neque grauitate, neque ictu, neque dolore affectum fuerit: contemplandum esse, num sanguisuga in eius faucibus aut naribus insit? quippe hæc signa uel utilia sunt,

uel inutilia: si inutilia, neq; artis neq; coniecturæ sunt, proinde a medicinæ operibus penitus reijcienda. sin utilia? quam nam afferunt utilitatem? fingamus, quòd duo aliqui pluribus diebus sanguinem excreent & emungant: hic cum capitis dolore, uel grauitate, uel ictu: ille sine his ipsis. mox quòd duo alij aquã, in qua sanguisugæ sint, biberint, aut in ea natantes luserint: deinde quòd uterq; sanguinem pluribus diebus excreet, emungatq;, sed alter cum capitis dolore, aut grauitate, aut ictu: alter absq; his omnino. quot horum? ne sanguisugam intra fauces aut nares habeant, nos in suspicionem magis adducunt? unus duo, tres, uel omnes? BO. *duo posteriores, qui aquam, in qua hirudines degunt, hauserunt.* MAT. *uter magis? an qui simul capitis ictu, uel grauitate, uel dolore effectus est? an qui nihil horũ sensit?* BO. *uterq;: modò aquam illam hauserit.* MAT. *ergo doleat caput, an non doleat: graue sit, an non sit: nihil referet.* BO. *nihil.* MAT. *priores duo, qui aquam huiusmodi non uiderunt, ne dum potarunt, quonam indicio nos inuitant, ut cõsideremus, an sanguisuga aliqua sit in illorum faucibus?* BO. *nullo. quum enim sanguisuga sponte naturæ non gignatur in nobis, sed forinsecus adueniat, nisi sanguisugæ su*

ſpicio aliqua (ut ante dictum eſt) præceſſerit: abſurdum ſimul ac uanum eſt illam per fauces, aut nares alicuius inquirere. MAT. igitur propoſita ſigna inutilia erunt. BO. id nunquam ego fatebor: Galenus eſt, qui hæc ſcribit: huic credo, etiam ſi eum nõ intelligam, tanta eſt eius apud me authoritas. itaq;

„ 4. de locis affectis ſic inquit: ſi pluribus deinceps diebus aliquis cruorem, & ſcreauerit, & emunxerit; idq; citra capitis uel dolorem uel grauitatem ſiue præſentem, ſiue præteritam, neq; is ex ictu procedat, huius & totum per nares meatum, atq; eam oris partem, qua ad nares foramen tendit, accuratè conſiderare oportet: nam fieri poteſt huiuſmodi accidens hirudine huic loco adhærente, quæ quidem in dies augeri ſolet: quamuis enim primis diebus, ut potè exigua ſenſum effugiat, tertio tamẽ quartoue die haud obſcurè uideri poteſt; quinetiam in huius rei teſtimonium addit: cũ alius quiſpiam huiuſmodi cruorem emungeret, & expueret, ipſo narrante audiui eũ rure æſtatis tempore in ſtagno quodam cum cæteris iuuenibus iuuenili ludo, qualem adoleſcentes in aqua ludere ſolent, exercitatum: tùm ego ſciens in eo ſtagno ſanguiſugas eſſe, duxi laborantem ad ſplendorem, conuerſoq; directè ad ſolis radios narium fora

" mine, in eo loco, ubi naſus ad oris regionem perfora
" tur, hirudinis in meatu latentis caudam conſpexi. "
hæc Galenus. quæ omnia (ut dixi) ea ſola ratione
recenſeo, ſimul ac admitto, qua nobis ab illo tradita
ſunt. MAT. hæc uerò mihi ualde ambigua uiden-
tur: primum, quia in exemplo, quod adducit, non
utitur ſignis, quæ propoſuit, ſed ſolùm dicit, quum
quiſpiam huiuſmodi ſanguinem emungeret, & expue-
ret: audito, quòd in aquis, ubi ſanguiſugæ degunt,
cum ſocijs luſerat, ſtatim conſideraſſe, an ſanguiſu-
ga intra os haberet: ita ut hæc duo ſatis ſit noſſe,
ut quis iure ſuſpicetur, an ſanguiſuga ſit in faucibus,
aut in naribus alicuius. alia uerò ſigna neque neceſ-
ſaria, neque utilia eſſe. deinde, quod hirudinem po-
tare magis cōſonum eſt accidere quadrupedibus, quæ
magno ſunt ore, multumq; aquæ ſine delectu ſimul
hauriunt, quàm homini, qui aquas, neque ità fortui-
tò, neq; ità lato amploq; ore ut brutum, haurit. ad
hæc ubi ſanguiſuga epota eſt, non ſinit animal quie-
ſcere, ſed infenſè moleſtat: id, quod exemplo ele-
phantis, qui ſanguiſugam bibit, facilè cognoſci po-
teſt: nam (ut Plinius lib. 8. cap. x. ſcriptum reli-
" quit) cruciatum in potu maximum ſentit hauſta hi-
" rudine, quam ſanguiſugam uulgò cepiſſe appellari

,, aduerto: hæc ubi in ipso animæ canali se fixit, into=
,, lerando afficit dolore. adeò ut me magna quoq; su=
beat admiratio, quòd Galenus hoc loco dicat, epotam
hirudinem primis diebus sensum effugere. BOE. ne
mireris, ille enim sensus appellatione non tactum, ad
quē dolor propriè attinet, intelligit, sed uisum, ut po
te qui primis diebus hirudinem propter exiguitatem
in faucibus discernere nequeat. MAT. certè oppor
tunum erat inter alia indicia scribere, quòd hausta
cruciatum aliquem afferebat: nam quis meritò asse=
uerabit sanguisugam in ore hominis sine dolore ali/
quo permanere? quis item triduo, quatriduoúe intus
hærere? præsertim cùm in dies experiamur, ubi illa
sanguinem affatim exsuxit, statim à loco, cui affixa
erat, decidere, ut pote quæ satis superq; plena iam ni
hil appetat, grauiorq; facta se ipsā grauitate sua è
loco detrudat? BO. nihil prohibet, si quis in aqua,
in qua hirudines sunt, frequenter uersetur, aut il=
lam ore hauriat, ut is fortè quadam in faucibus,
aut nasi meatibus hirudinem diu manentem sortia=
tur, quippe quæ ubi repleta est, ore suo sanguinem
uomat, qui subinde per hominis os, aut nares redda=
tur: cauda uerò fixa diutius inhæreat loco. MAT.
id utcunq; est; tamen admittatur: sed si pluribus

diebus cruor excreetur; emungaturq́;, idq́; citra capitis uel dolorem, uel grauitatem, neq; is ex ictu procedat: significatur'ne apud Gal. *quòd ori alicuius sanguisuga inhærere possit?* BO. *significatur.* MAT. *aut ex his propriè significatur, aut non? si primum, id ab experientia (ut antè innuimus) alienum est: sin alterum, ità potest quodcunq; aliud, q̃; sanguisuga significari. cæterum quomodo fiet, ut quis (quemadmodum proximè diximus) iusta ratione probet sanguisugam in his locis inesse posse, nisi externa causa. i. aquæ in qua sanguisugæ uersantur, haustus, aut quid tale præcessisse intelligatur? quia ergo prædicta signa sine huiusmodi aquæ aut cuiusuis rei similis mentione scribuntur, nullã nobis artem, quid dico artem, sed ne coniecturam quidem cognoscendi, quòd sanguisuga hominis fauces, aut nasi foramina occupare possit, ostendent. quin immò si contraria his scribantur, modò sanguis excreetur, & haustus aquæ, in qua sanguisugæ degunt, supponatur: nemo non iure suspicabitur, sanguisugam in ore illius esse, qui huiusmodi aquam potarit. Quia igitur prædicta signa cùm adsunt, nihil magis sanguisugam in ore alicuius hærere significant, quàm cùm non adsunt: modò hæc duo concedantur: quòd hausta sit aqua, in qua*

sanguisugæ uersantur, sanguisq́; per os, aut nares reddatur, manifestum est inutilia esse. Cæterùm adhæc scribenda (ut Fescennius præceptor meus aliàs me monuit) Galenum compulit, id, quod Hyppocrates siue Polybus prorreticorum secundo ferè idem cum eo, quod hic Galenus scriptum reliquit. ibi
,, *legitur, quod si uerò cuipiam fauces implentur san-*
,, *guine sæpe singulis diebus ac noctibus, neq; caput an*
,, *tea doluit, et qui neq; tussim habet, neq; uomuit, neq;*
,, *febre correptus est, neq; dolorem habet, nec pectoris,*
,, *nec dorsi: huius considerandæ sunt nares, & fau-*
,, *ces; an ulcus aliquod habere compareat, aut βδέλ-*
λαν. i. hirudinem ut Galenus interpretatur non solùm hic sed in libro, quem de uocibus Hyppocratis *inscripsit, ubi locum hunc exponens contendit etiam in hoc loco uoce βδέλλαν esse intelligendam sanguisugam, sicut omnes quoq; alij interpretes traduxerunt.* BOE. *ecce uerum uero ubiq; consonat: si* Hyppocrati *cum Galeno in his conuenit, si idem uterq; sentit, quomodo audes a Galeno recedere?* MAT. *immò audebo, cùm non idem, sed longè aliud uelit* Hyppocrates. BOE. *quid isthuc est?* MAT. *nempè ut pro eo, quod scribitur βδέλλαν non accipiamus hirudinem, cùm aquæ, in qua sanguisugæ degunt* Hyp

pocrates nequaquam meminerit, sed id, quod in corpore nostro in speciem hirudinis quandoq; uidetur: idipsum est uena sanguiflua, quam uaricosam appellamus, ut author est Dioscorides Hyppocratis *interpres antiquissimus: quem etiam* Galenus *in libro, cui de uocibus* Hyppocratis *titulum fecit, locum hunc ità exponere testatur, ac si dicat* Hyppo. *considerãdæ sunt nares, ac fauces, an ulcus aliquod habere cõpareat, an* βδέλλαν *hoc est uaricosam uenam: ab hac enim sanguis uelut per diapedesim interdũ trãscolari solet: deinde pluribus diebus tùm emungi, tùm excreari. si ergo ad id, quod ab initio proponebatur, redeamus: diligenterq; consideremus hæc signa, quæ de hirudine utrum in faucibus, aut naribus alicuius insit, à* Galeno *simpliciter absq; aliqua aquarum mentione, in quibus sanguisugæ degunt, ponuntur, tantum abest, ut proprie significent hirudinem in alicuius faucibus, aut naribus inesse posse ut quoduis aliud potius ostendant. proinde uanum est, (ut antè quoq; diximus) niti probare quòd* Acestes *sanguisugam in faucibus habere possit, quoniam pluribus diebus sanguinem excreat, ac emungit, neq; capitis dolor aut grauitas, aut ictus præcessit.* BO. *quid igitur pati* Acestem *in faucibus aut naribus, ex*

bis , quæ diximus ſignis conijcere poſſumus ? MA. *iam dixi , aut ulcus , aut uaricoſam uenam , quæ ſanguinem interdum reddat* . BOE . *Galenus uerò.* MAT. *tu uides.*

ALEXANDRI
TRAIANI PETRONII
DIALOGVS SEXTVS.

De eo quod medici ſputum tuſſientis in aquam inijciunt ut experiantur, ſit ne pus an non?

AMPHIBOLVS MATHETES.

HERI *Medicum quendam inueni cum altero contendentem quod æger qui ab utroq; curabatur, pus expectoraret: argumento quoniam tuſſi reijciebat ſputamina craſſa uiſcida, quæ in uas aqua plenum iniecta, deſcendebant in fundum. hic illa quæ non ità facile deſcendebant, cannula quadam agitabat, a, tenui craſſum ſeparabat: id ſeparatum, ut in uaſis imum abibat ita ſtatim pus eſſe ſtatuebat.* In hãc *rem* Auicenæ *teſtimonium afferebat dicentis. x. tertij cap. de pure, & ſanie: ſigna inter ſaniem (abuti-*
,, *tur enim hac uoce pro puro) et inter phlegma in ſpu-*
,, *to ſunt deſcenſus saniei ſputi in aqua, & fætor ip-*

sius super ignem. Hæc Auic. MAT. Quorsum hæc Amphibole? si nanq; mucum è naribus in aquã proiectũ baculo aliquo agites, statim uidebis partes quasdam eius tenues separari, natareq;: quasdam uero crassas deorsum abire: dicemus ne propterea pus esse? An ut lac aliquod leue aliquod uero graue, sic quoq; pus aliquod tenue aliquod uero crassum? illud in aqua proiectũ funditur, spargitur, nõ delabitur in fundum: hoc totum in imum ruit: ut in utero gerentibus quotidie experimur, ubi marẽ an fœminã gerant scire cupimus. Hinc Alexander Trallianus aut siquis alius est: pus tenue forsitan contemplatus ità pus in aquam dissolui scriptum reliquit ut Auic. in imum descendere tradidit: quum interprete Albano Torino inquit, suppurationem factã esse in pectore uel solus sputi color, uel alia de quibus supra egimus puris indicia, odor item sputi carbonibus iniecti & cremati satis euidentissime arguuut: præter hæc uel inde tamq; ex speculo deprehendes, si proiectum in aqua soluatur, neq; pituitæ instar crudiq; humoris excreetur. ubi uides, & Alex. authoritate, et exemplis prædictis fieri facilè posse, ut pus aliquod in aquam proiectum dispergatur, minimeq; in profundum migret. quod si ità est, me non leuis admi-

ratio ſubit, quod iſte tuus medicus idcirco pus eſſe uelit ſputamen quod æger ſuus expectorat, quia in aqua proiectum in fundum repat. Etenim obſecro quid putas pus eſſe? AMP. *ſuccũ aliquem.* MAT. *Quem?* AMP. *qui ex aliqua noſtri corporis particula præter naturam egreſſus, ab innato calido in id quod alimẽto quem chylum uocãt, ſimile eſt, quoad fieri poteſt permutatur: nam et ſi lac omne, cibus omnis in huiuſmodi chylũ ab innato calido uertitur, neutrum tamen horum ab aliqua corporis noſtri particula, præter naturam ægreditur.* Ideo Hypp. *lib. de ulceribus inquit, ulcera ſuppurantur alterato ſanguine ac calefacto donec putrefactus talium ulcerum pus fiat, ac lib. de alimento pus ex carne, purulentum ex ſanguine, & ex alia humiditate, pus ulceris alimentum:* Pus *alimentum uenæ, arteriæ.* Propterea *quoq; prognoſticorum primo ſcriptum reliquit, pus optimum eſſe ſi album ſit & æquale & leue & q; minimè fœtidum. ut pote quod maxime accedat ad, uocati chyli naturam.* MAT. *Tale quippiam erit ſimile huic quem chylum appellas, ſimile coloſtro, ſimile lacti, ſimile compluribus albis pultibus?* AMP. *erit.* MAT. *ſi quis horum aliquod tibi offerat, quoniam puris ſpeciem repræſentat, quibus ins*

dicijs inniteris, pus ſit nec ne intelligas? AM. conſiderabo colorē, odorem, acrimoniæ ſenſum ſiue mordacitatis in ægro, amaritudinem ſiue ſaporem aliquem infeſtum, quantitatem locum unde manat, modum quo fit: nam et ſi colore album, & praui odoris expers laudatur, non tamē æquè album, atq; lac ſed paulo obſcurius neq; omnino fœtoris expers eſſe uidetur, ſed eſto ut tum colore, tum odore & ſubſtantia lacti ſimile ſit, eo ſaltem differet, quod acrimoniam aut ſaporem aliquem alienum præſeferet. ſi nullum horum eſt, certe quantitate, loco, & modo diſtinguetur. MA. Poſtq; id expertus fueris, ſtatim dices pus eſſe? an aliquod aliud ſignū requires? AM. non aliud. MA. ſi id in aquā iniectum non deſcendit, pus eſſe affirmabis an nō? AM. affirmabo, pus. n. tenue (ut ante dictum eſt) diffunditur, non in imū ſubit. MAT. Cur igitur ubi quis ſputum aliquod extuſſit tum uetuſtiores tum recentiores medici experiri uolunt an deſcendat in aquā ut pus eſſe cognoſcant? Ita faciunt inquies quoniam arbitrantur pus ipſum quod a pectore prodit, craſſum denſum uiſcidum graueq; eſſe debere: quod tale eſt, ſi in aquam iniiciatur, ſemper deſcendere. ſed ut illud ſuo iure ſumunt, ita hoc quod deſcendat non magis pus eſſe

probat

probat quàm pulmonis aut aſperæ arteriæ fruſtulũ aut quid huiuſmodi. quid enim aliud poteſt deſcenſus in aquam oſtendere q̃ grauitatem? quod ſi ita eſt, quomodo fiet ut duorũ ſputaminum quæ maxime ſunt inter ſe ſimilia ac ferè eadem, illud quidem eo ſolo quia in aqua graue eſt, pus eſſe uelint, id uero quia leue eſt, nolint? Profectò ij ſeſe uulgo admirandos oſtentant, quum in hoc caſu, ſputamine aliquo craſſo ſemiputriq; apparente, primo aquam petunt dum ſuis quibuſdam ſonoris rotundis uerbis illam afferri iubent, mox ſuper eadem ſputamen baculo agitant, interim idiotas id attente admirantes limis oculis reſpiciunt, deinde cogitabundi, graues, ſeueri ac ſi aliquod magnum inuenerint, in ſemicirculum ambulantes ad ægrotum ſe conferunt, quos ſi interroges quid de tota re iudicẽt, nihil unq̃ q̃d clare intelligas reſpõdent, ſed animum utroq; ancipitẽ ita ut capi nequeat, alternant νεύμασιν (ut Græci dicunt) ταλαντεύοντες. Sed forte tum hos tum Auicennam (ut Feſcẽnius me docuit) Hyppocratis ſiue dicas authoris de coacis uerba deceperunt, quippe ille ibi inquit τῶν φθισικῶν ἐπὶ θάλασσαν πτύουσιν οἷσιν ἐς τὸν πυθμένα βαδίζει τὸ πτύον, ὀλέθριον συντόμως. ἴσω δὲ ἐν χαλκῷ ἡ θάλασσα, quod eſt quibus tabidis in

mare expuentibus pus in fundum abit, breui pereunt: Sit autem mare in æneo uase. Ex hoc loco fortasse a medicis sumptum fuisse vt experirentur an sputamen tussi reiectum in aquam descendat nec ne Fescennius cōycit, sed hos neq; quãobrem id fieri debeat intelligere, neq; rectum huius præcepti vsum cognoscere: quinimmo lõge errare ac decepi. Primum quãcunq; aquã accipiunt, non distinguentes salsa sit an dulcis: quũ tamẽ author marinam esse præcipiat, deinde sputamen eo quia in imũ proruit pus esse iudicare volunt, quod vt contra sensum est atq; rationem vt antea disseruimus, Ita maxime Cõtra hũc authorẽ qui pus esse veluti notũ supponit priusq̃; quis periculũ faciat in fundũ abeat an secus.

AM. Quid igitur? Hippoc. his uerbis nos admonet? MA. Nõ amphybole vt pus cognoscamus: quid enim absurdius aut certe insultius dici potest q̃; quærendũ sputũ ne in aquã cadat? vt pus esse perspiciamus? Sed præcognoscendi rationem nos docet qua comparente statim intelligamus tabidũ aliquẽ breui emoriturum esse: quẽadmodum sputum iniectũ carbonibus si graue oleat propterea non significari pus esse, sed lethale esse. atq; vt id ægrum simpliciter periturum, ita illud non solum simpliciter sed celeriter moriturum

oſtendit. AMPH. Quo nam modo? MA. vt dum pus extuſſit in marinã aquam vaſe aliquo exceptam ex- puere facias nõ ſemel quidem mi amphibole ſed plu ries. AM. Cur marinam magis quam dulcem? MA. Quoniam hæc maiora pondera quam dulcis aqua ſu ſtinet. Si enim in hac pus aliquod deſcendit, quis am- biget multo maiorem grauitatem oſtendi quàm ſi in dulci laberetur in fundum? Proinde quod intus in tho race relinquitur (relinqui aũt oportet vtpote quod ni mis graue ſit) vix expectorari poſſe, quod quum ita ſit mortẽ neceſſario in propinquo eſſe. Quocirca qui Tabidorũ ſputũ in aquã proijciũt vt pus ſit an nõ, ex periãtur, ij mihi cenſentur his omnio ſimiles eſſe qui neſcientes quid faciant, faciunt tamẽ vt aliquid face re uideãtur: quinimmo tanq; ſimiæ, ea quæ periti au- thores docẽt, imitantur quidẽ, ſed quia nõ intelligunt, ea omnia peruerſe faciũt. ij nõ re ſed nomine medici ſunt: qui malũt uideri q; eſſe: ſimulãt. n. ſe ſcire quod neſciunt. AMP. Ego de hac re dubitabam Mathetes non quod illam ita eſſe crederem ſed quia is qui cannu la ſputum in aqua agitabat, maioris authoritatis erat quã qui cum eo altercabatur. uix enim mihi perſua- dere poterã quod ille id temerè ageret. quum nihil ſit temeritate turpius nec quicq; tam indignum medici

grauitate & constantia q; aut non recte de re aliqua sentire aut quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, sine ulla dubitatione defendere.

ALEXANDRI
TRAIANI PETRONII,
DIALOGVS SEPTIMVS.

in aphorismum. 39. secundæ sectionis.

[illegible]

MATETES. BOETHVS. FESCENNIVS.

MAT. *vtri magis obnoxij morbis sunt? senes an iuuenes?* BOE. *senes, hi enim viribus sunt imbecilli, ex leui momento in morbos incidunt: nulla dies est, in qua noui mali aliquid non sentiãt, ita vt mane, dum salutantur, rogandi sint, non quomodo habeant, sed quid doleant: proinde non iniuria senium sonticum a latinis veteribus appellatur, ab omnibus vero senectus ipsa morbus: contra, iuuenes robustissimi sunt, vel ex maximis erroribus minimum*

offenduntur, se quotidie validiores experiuntur, mane surgunt sani, pulchri, hilares, deniq; iuuentus omnia habet gratiosa, senectus verò contraria. MAT. *cur ergo Galenus super aphorismo secūdæ sectionis 39. senes asserit rarius ægrotare quā iuuenes.* BO. *ego sanè isthic non ægrotare rarius, sed ægrotare minus, lego.* MAT. *aphorismus hunc in modum habet,* οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον, ὁκόσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει,
, *quod est, senes iuuenibus plurimum ægrotant minus:*
, *quicūq; verò ipsis longi morbi fiunt, magna ex parte*
, *comitantur ad mortē. Galeni autem uerba hæc sunt:*
, *Non omnes senes minus ægrotant quàm iuuenes,*
, *neq; enim omnes maiorem habent circa uictum conti*
, *nentiā: qui uerò non habent, magis ægrotant, ut qui*
, *iuuenibus sint debiliores.,* *Hactenus Galenus. an ex his accipere licet senes temperantes minus ægrotare quàm iuuenes, intemperantes uerò magis?* BO: *licet.* MAT. *si magis ægrotant senes intēperantes, quàm iuuenes, istud magis intelligere oportet, uel secūdùm intensionem, uel secundum uices: si secundum intensionem, quis dicet, senes intēperantes intensius ægrotare quàm iuuenes?* BO. *Galenus: quippe qui aphoris*

mo .41. Sect. septimæ, senioribus omnia mala (in-quit) peiora fiũt propter ætatis imbecillitatem. M A. *in eo quod dicitur intensius tibi mecum non cõuenit: putas peius deteriusue idem significare, quod intẽsius uehementiusue, quum tamen hæc maximè differant, peior enim est febris uocata hectica, quàm ardens, tamen hæc intensior, illa remissior est: Si ergo non secundum intensionem senes incontinentes magis quàm iuuenes ægrotant, ducta ex contrario ratione neq; continentes, ubi a Galeno minus ægrotare quàm iu-uenes dicuntur, secundum intensionem, minus ægro-tare dicentur: relinquitur igitur, ut secundum uices magis minusue ægrotare accipiantur, hoc est, illi magis sæpe, siue frequentius, hi uerò minus sæpe siue rarius, quemadmodum reliqui Galenum imitati inter-pretantur. Sed hinc non leues dubitatiões nascũtur, nam uel ista comparatio secundum ætatem fit, uel secundum temperantiam intemperantiam ue, & uel unius eiusdemq; ratione semper seruata, uel diuersorum prout diuersa sunt, non prout in uno a-liquo Conueniunt: quouis modo sumatur: & contra Galenum & contra reliquos expositores multa exurgunt absurda. Sit enim tùm senex tùm iuuenis uterq; temperans, uter horum sæpius ægrotabit?* BO *senex,*

huic enim uel minima causa, (ut . 5. de tuenda uale tudine cap.4. Galenus inquit) maximæ mutationis occasio est, hic si in cibi tum qualitate tum quantitate breue quippiam trãgressus limites sit, nõ leuiter lædi tur, quũ iuuenis uel ex maximis erroribus minimum noxæ Sentiat: unde 3. de simpt. causis cap. 3. senũ cor pus ad omnem fermè actionem male comparatũ esse docet. dein. 6. de tuenda ualetudine cap. 2. horũ sani tatem non absolute sanitatem esse, iuuenum uerò propter ipsam actionum uirtutem esse integram, & de qua queri non possit, senum sanitatem querimo nnijs non uacare. MAT. *Sit uterq; intemperans: uter frequẽtius infirmabitur?* BOE. *senex etiam, ob easdem causas.* MAT. *quò ad uero ætatem, uter sæ pius in morbum incidet?* BO. *multo sæpius senex: hic enim ætatis causa propter sui caloris imbecillitatem ualde obnoxius morbis est: ille contrà propter sui ca loris robur maximè resistit.* MAT. *si ratione mu tata senem intemperãtem ad iuuenem temperantem comparauerimus, præter id quod comparatio recta non est, quippe quæ in uno et eodem, non autem in diuersis prout à se inuicem distãt, fieri debet, ex Ga leni commentario facilè colligitur senem sæpius æ grotare, sin senem temperantem ad iuuenem intem-*

perantem, id enim ſolùm reſtat diſcutiendum: eadem incommoda ſequuntur. BO. *hæc ego non uideo: primum enim comparatio hæc non in diuerſis ſed in eodem fit nempe in ipſa ægritudine, multò ſecius quàm opineris.* Deinde *perſpicuum eſt in hoc caſu iuuenem ſæpius ægrotaturum quàm ſenem: ſiue ipſe ad ſeipſum, ſiue ad alterum comparetur.* Nam *ut* Cato *maior apud* Ciceronem *inquit, iuuenum ætas multò plures, quàm ſenum mortis caſus habet: facilius in morbos incidũnt adoleſcentes, grauius ægrotant, triſtius curantur:* T*emeritas enim eſt florentis ætatis prudentia ſenectutis:* H*æc etiam ſuper hoc amphoriſmo ſententia eſt* Galeni, *cui malo in dubijs fidere, quàm alteri in manifeſtis credere*. MAT. *nònne uides o* Boethe *uirium defectionem in ſenectute, iuuẽtæ uitijs effici? libidinoſa enim & intemperans iuuentus effœtum corpus tradit ſenectuti: proinde cum facinorum in iuuenta commiſſorum, ſenecta ut dicitur uindex, aut ultrix exiſtat: intemperans iuuenis licet in ſenecta continenter ſe gerat, tamen propter ante actam uitam multo ſæpius ægrotabit quàm ubi iuuenis erat. quamquam enim hac ætate temperans eſt, illa tamen intemperans fuit: minus tamen poteſt uirtutis imbecillitas tum propter ſeniũ, tum propter*

præcedentes errores acquisita contra instantes morbos pugnare, quàm eiusdem robur sinat in iuuenta propter intemperantiam eosdem sæpius recipi: sed ut homo in iuuentute plura comisit, ita in senectute debilior factus comissorũ pœnas pluries luet, pluriesq; incidet in morbos. neq; si concesserimus iuuenes omnes commoderato corpore esse, senes autem immoderato, propterea sequitur iuuenes sæpius ægrotare q̃; senes, argumento quod Arist. *sectioñ. quinta prob. 22. corpora commoderata sæpius* κάμνειν *quod est laborare q̃; immoderata scriptum reliquerit; nam etsi a medicis quos modo nos imitari oportet, id minime pro eo quod est morbis affici admittitur, prout etiam admitti non debet, utcunq; tamen est, multo aliter q̃; in medium adduci solet, ab eodem intelligitur: quippe qui non de malis in uniuersum, illud affirmat sed de his quæ laborum causa corporibus & moderatis & immoderatis contingunt. Id quod aperte declarat tum ipsius quintæ sectionis inscriptio cui titulus est, eorum quæ ad laborem pertinent: Tum mentio partium quarum consensu pati reliquum corpus ibidem traditur. præterea nomen senes hic sumere oportet, sicut in alijs suis libris* Hyppocrates *usurpat: in alijs uerò senum nomi*

ne non magis temperantes, quàm intemperantes uo-
care uidetur: non igitur hic senes potius temperan-
tes, quàm intemperantes intelligere conuenit: quē-
admodum etiam neq; iuuenes intemperantes magis,
quàm temperantes: etenim ubinam ab Hypp. huius-
modi uoces ità simpliciter prolatæ, tamq; cum alijs
iunctæ accipiuntur? nisi fortè ità licet in aphorismis
agere: quia putatis aphorismum esse sermonem, qui
paucissimis uerbis omnes rei proprietates circumscri-
bit? sed mi Boethe (ut Fescennius inquit) non com
pendiosus sermo paucis uerbis multa complectens a-
phorismum constituit: sic enim quibusuis rei medicæ
studiosis promptum esset nouos aphorismos conficere,
sed alia multa requiruntur, quæ omnia si priores Hyp
pocratis interpretes probè nouissent, minimè dubitas
sent, quamobrem Hypp. sententiam illam. 4. acut.
„ In acutis affectibus sanguinem detrahe, si uehemens
„ fuerit morbus, florueritq; ægrotanti ætas, & uiriū
„ adfuerit robur, inter aphorismos non recensuerit,
„ neq; item alteram celebratissimam epid. primo sect.
„ 2. coctio celeritatem crisis, certamq; salutem signifi-
cat, & plerasq; alias, quæ paucissimis uerbis multa
comprehendunt, sed ad rem nostram. Quum intē-
perantia omni ætati contingat, quid refert scire se-

nes temperantes rarius ægrotare, quàm iuuenes in=tẽperantes? quid intereſt ſi dixeris, quàm adoleſcẽtes, quàm infantes, quàm ipſosmet ſenes? ac rurſum pueros temperantes rarius ægrotare, quàm iuue=nes intemperantes? Age, quæſo, ſit puer temperans, iuuenis intemperans, uter horum rarius ægrotabit? BO. *puer.* MA. *an licet, ad huius aphoriſmi ſimilitudinem conſtruere alterum? hoc eſt pueri iuueni=bus ægrotant minus, quod eſt rarius: ſed quid doce=bitur? quodnam artis inuentum hoc erit? certè nul=lum: quippe quod notius eſt, quàm quòd obſeruandi cauſa in artem admitti debeat: quod enim ignorat nemo, ſed norunt omnes, eius non conuenit, aliquem artificem appellari: ſed eſto, tale aliquid ad artem ſpectare putetur, quum intemperantia quædam in iuuene ſequatur ætatem, quædam corruptos eius mo=res, aut de hac, aut de illa id, quod dicitur, erit intel=ligendum: Si de illa, ut ætatis ratione iuuenis mi=nus ſæpe, quàm ſenex ægrotat: ita propter hanc intemperantiam, quæ ſimiliter ætatem ſequitur, minus ſæpe ægrotabit: ſin de hac, quæ corruptis moribus naſcitur: quia hæc indefinita eſt, poteſtq; tùm adeſſe, tùm abeſſe, in artem aſciſci nequit.* BO. *quinimmò iuuenibus peculiaris eſt, petulantia enim,*

& libido magis est iuuentæ, quàm aliarum ætatum: ita ut sæpius iuuenes petulantes sint, simul ac libidinosi: quod uerò ut plurimum usuuenit, id artis est: ideoq; senes iuuenibus, et non pueris, non infantibus, non ipsis senibus comparauit Hyppocrates, tùm quia iuuenibus intemperantia tamq; propria est; alijs ætatibus, tamq; impropria, tùm iuuenes licet intemperantiæ magis obnoxij sint: quia tamen multum uirtutis robore ualent: minus æquum uidetur, ut sæpius, quàm senes ægrotent: id in alijs ætatibus si fortè intemperantes fuerint, notissimū est. scilicet quod cū intemperantia sæpius ægrotent: atq; ità pro Galeno, cæterisq; expositoribus tibi responsum sit. MA. dum hos tueri contendis, & ueritatem ocultas, & contra alios magni nominis medicos loqueris: nam in primo de diæta: sit Hyppocratis, sit Polybi liber, ambo antiquissimi medici, ambo magna apud homines fuerunt authoritate, ita inuenitur scriptum: ubi
" aquæ crassissimæ & ignis tenuissimi in corpore mix
" tura facta est, talia contingunt, ex quibus frigidam
" & humidam naturā cognoscere oportet: talia enim
" corpora in hieme morbosiora sunt, quàm in æstate,
" & in uere, quàm in autumno: cæterùm quod ad æta
" tes attinet, sanissimi ex talibus pueri sunt, deinde

,, adolescentes, morbosissimi autem senes, & his uicis
,, ni. rursum si mixturam acceperunt fortissimum in
,, igne: & tenuissimum in aqua, sicca & calida est na
,, tura, & talibus morbus in ignis accessionibus contin=
,, git: sanitas uerò in aquæ & in ætatibus uigentibus
,, ad carnis bonam habitudinem morbosissimi sunt, sa=
,, nissimi autem senes, ita etiam utrisq; proximi: hæc
ibi. nũ uidentur hæc aphorismo cõuenire? nunc se
nes uocat morbosissimos nũc sanissimos, accipit'ne in
hoc eodẽ loco hos quidem continẽtes, illos uerò inconti
nẽtes? BO. non profectò, sed utrobiq; eadẽ ratione.
MA. cur in aphorismo ità sumi negas? BO. quoniam
hic quò ad mores, illic quò ad tẽperamentũ senes con
templamur. MAT. O quàm ex arbitratu dictum
est hoc: sit in exemplo Cato senex huiusmodi: hic
considerata; quò ad eius mores continentia, rarius
quàm iuuenis ægrotabit: considerato autem uniuer=
si corporis temperamento, sæpius: simul igitur in
eadem ætate rarius & non rarius ægrotabit: simul
enim, & quò ad mores continens, & quò ad tempe=
raturam est morbosus: Si horum utrumq; simul ar=
tis est, utrumq; simul fieri oportet: ars enim, credo,
nosti, his quæ fiunt tantum inhæret: re autem uera
utrumq; simul fieri non potest: ergo neutrum aut al

terum artis erit, non neutrum, ergo alterum. si alterum: uel quò ad mores rarius ægrotare, uel quò ad tẽperamentũ, sæpius. Si hoc uerũ est, falsum erit, quod hi tui expositores ad aphorismum interpretantur: sin illud uerum, falsa erunt, quæ in primo de diæta scribuntur. præter hæc illud etiam absurdum sequitur interpretationem uestram, quod asserere senes rarius, quàm iuuenes, quò ad mores ægrotare, æquè est, ac si dixeris rarius uulnerari. quippe iuuenes ob suam temeritatem prauis moribus affecti tùm ensibus, tum alijs telis obuiant, senes sua prudentia se ab istis tuentur: quò fit, ut illi propter suos mores frequentius, ij rarius uulnerentur: Sed ut hoc considerare (quemadmodum libro artis medicinalis cap. 85. Galenus innuit) ad artem non pertinet: ità illud inter aphorismos, qui artis monumẽta sunt, scribere minus conuenit. an etiam nunc repetam, quod paulo ante dicebam? uestra hæc expositio comparationis rationem corrumpit: comparantur enim senes iuuenibus. BOE. ita est. MAT. in quo? in ætate? in temperamento? in moribus? BO. in nullo horum, sed in eo, quod est ægrotare, quia tùm senex, tùm iuuenis ægrotat, sed hic minus, ille magis ægrotat: en comparatio seruatur in eodem. MA.

aduerbium minus exponis ut in uſu eſt, an aliter? BO. quorſum hoc, non'ne ſatis iam patet, pro eo, quod eſt rarius à Galeno ſumi? MAT. non igitur comparatio ſola fiet in eo, quod eſt ægrotare, ſed in eo quod eſt rarò ægrotare: Si enim ſenex rarius ægrotat, quàm iuuenis: tùm ſenex, tùm iuuenis rarò ægrotabit, alioqui non eſt recta comparatio: ſed iuuenis, pro ut eſt intemperans, hoc loco à Galeno accipitur: iuuenis igitur intemperans rarò ægrotabit: quod oppoſitũ eſt illi, quod uos omnes dicitis Iuuenẽ ſæpius ægrotare. eadem ratio eſt, ſi aduerbium minus interpreteris minus ſæpe, ac ſi ſenex minus ſæpe ægrotet, iuuenis magis ſæpe: ut enim comparatio non fruſtretur, uterq; ægrotabit ſæpe: quod ſimiliter uobis omnibus repugnat, qui ſenem propter ſuam continentiam non ſæpe, ſed rarò ægrotare cenſetis. deniq; ſi aduerbium minus, id quod eſt, rarius, uel minus ſæpe hic ſignificare concedamus, nimis improprius redditur ipſe uerborum modus: quod perſpicuum fit, ſi loco aduerbij minus, ponatur rariùs, aut minus ſæpe: ut puta ſenes iuuenibus ut plurimum ægrotant rarius: ſiue dicas, ut plurimum ægrotant minus ſæpe: o, quanta diſſonantia tùm ſenſus, tùm uerborum? uides quot, & quibus controuerſijs neceſ-

sariò implicaris, dum illa niteris defendere, quæ defendi non possunt? quantò satius esset uerbis non improprie, sed propriè uti, mox id, quod significant docere aliquid esse, quod se promptè nobis offerat, non autem; quod in præceps fugiat, quo minus cognosci queat: deinde idipsum ita sensui manifestum facere, ut non fallax, non ueluti figmentum, sed fidum, ac certum existat: tandem quod ità sit, ut non difficile, sed facile iudicetur. qui hac uia incedit, is absq; nugis, absq; difficultatibus artis inuenta declarat. BO. *tu fortè in aphorismis intelligendis, hi enim artis inuenta continent, hac insistis uia?* MAT. *non ego quidem mi* Boethe, *sed* Fescennius *præceptor meus: nam ego ferè cunctos interpretes in* Hypp. *aphorismos legi, multos adhuc in humanis degentes audiui, nullus planè, ita me Deus amet, æquè satis mihi ac* Fescennius *facit: hic enim nihil in his, quod sensui non pateat, nihil cui animus non acquiescat, docet:* BOE. *Si quid huiusmodi de hoc aphorismo te admonuit, non te pigeat recensere: nam præterq; quòd mihi gratum feceris, posteritati non leuem afferes utilitatem.* MAT. *dicam equidem, modò de quibusdam inter nos prius conueniat.* BO. *Cedò.* MA. *dolorem aliquem tùm senex, tùm iuuenis patiatur:*

uter

uter magis moleſtè feret? uter uehementius dolebit?

BOE. *iuuenis multò ualentior eſt, quàm ſenex: hic minus, ille magis reſiſtet.* MAT. *dolere non eſt reſiſtere, ſed ſentire, uter dolorem magis ſentiet?* BO. *iuuenis: hic enim uiuaciore ſenſu eſt, ſenex hebetiore, nam & ubi dolorem inſignem ſedare nobis in animo eſt, ſenſum ipſum medicamẽtis obtundimus.* MAT. *in morbis, quos neceſſario dolores aliqui ſequuntur: ut in conuulſione, in podagra, in arthritide, colica, pleuritide, ſiue calidi ſiue frigidi affectus uocentur: uter grauius lancinabitur? ſenex an iuuenis?* BO. *iuuenis.* MAT. *uter leuius?* BO. *ſenex: memini enim quid ſimile apud Hypp. legiſſe,*
„ *quippe qui prognoſticorum 3. auris dolor (inquit)*
„ *acutus cum febre non intermittente uehementiq́; gra*
„ *ue periculum minatur: nam & mentem turbat, &*
„ *hominem rapit: quum igitur anceps ſit huius rei exi*
„ *tus, à primo protinus die omnibus ſignis accuratè ani*
„ *mum adhibere oportet: nam ex eo morbo iuniores an*
„ *te ſeptimum diem, & citius, ſeniores uerò multò tar*
„ *dius moriuntur, febres enim & deliria minus his*
„ *gignuntur: proinde ſubſtinere poſſunt, donec ſuppu*
„ *retur: quod ſi morbus in hac ætate reuertatur, plu*
„ *rimos interficere ſolet: ſed iuniores, antequàm au-*

ris suppuretur, pereant, & quæ sequuntur. quasi dicat ab auris dolore, iuuenes magis, senes minus affligi. hoc idem siue ab eodem, siue à Polybo *primo de morbis licet accipere, ubi scribitur: qui quidem iuniores patiuntur eas affectiones, quæ à doloribus fieri dictæ sunt, ij & plures & uehementiores ipsas patiuntur, & magis quàm alij dolent. paulò inferius, seniores uerò rarò quidem patiuntur, & quãdo patiuntur, debiles ipsas patiuntur, ut potè ipsi debiliores existentes, & remittunt impetum magis, et affectionum maiorem curam gerunt: fiunt igitur ab initio omnino minus seniori, quàm iuniori, & ubi factæ fuerunt, seniori debiliores fiunt, iuniori uehemẽtiores. rursum, in iuniore igitur cùm sint affectiones uehementiores, & purgatio pro sputi ratione nõ fiat, & febres acutiores, & frequentiores fiunt, & dolores acuti incidunt tum in ipso affectionis loco, tum in reliquo corpore: deinde senioribus uerò quum affectiones sint debiliores, & sputum ab ipsis purgetur, & febres tenuiores, ac paucæ fiunt, & dolores nunc quidem adsunt, nunc uerò non adsunt, tenues. hæc ab* Hypp. *siue* Polybo *in testimonium eius, quod senex morbis, qui doloribus coniunguntur, leuius, quàm iuuenis afficiatur.* MAT. *sed uideo te*

adhuc in ancipiti esse, ac suspicari ne ea sentētia uera sit, quam ex animo tuo euellere hactenus conati sumus, hoc est, aduerbium minus in aphorismo praesenti pro eo, quod est rarius sumi debere: quoniā in his proximè dictis uerbis inuenitur: seniores uerò rarò patiuntur: confide mi Boethe, nam rarò quod hic legitur, non ad morborum numerum spectat, ut puta, quòd iuuenis pluries, senex rarius capiatur morbis, (potest enim tùm senex, tum iuuenis & rarò, & saepe capi) sed ei respondet, quod paulò superius de iunioribus narratur, plures & uehementiores affectiones patiuntur; ut enim ij plures dolores ac uehementiores in eodem morbo patiuntur, ita seniores paucos & tenues in eodem inquam morbo: ideo infra de iuniore dicitur, febres acutiores & frequentiores fiunt: de seniore febres tenuiores & paucae fiunt, & dolores tenues, qui nunc adsunt, nunc uerò non adsunt; sed ista plus satis; ad rem nostram reuertamur. Concedis senem in affectibus, qui cum doloribus fiunt leuius laborare, quàm iuuenem? BO. maximè. MAT. si uterq; febrem patiatur, quotidianam, tertianam, quartanam, continuam'ue, uter magis febriet? BO. iuuenis, hic enim plus caloris habet, febris uerò calor quidam est, hinc Hyppocra

,, *tes sectione prima aphorismo decimoquarto, febres*
,, *senibus (inquit) non similiter acutæ fiunt: frigidũ*
,, *enim eorum corpus.* MAT. *possum ne iam affirma re, quod in hoc mihi tecum conueniat, quod tum febres, tum affectiones, quas dolores præcipuè comitan tur, leuius affligunt senes, quàm iuuenes?* BO. *potes.* MAT. *aliæ uerò affectiones, quæ propter bre uitatem non recensentur, utrum grauius lædent se nem, an iuuenem?* BOE. *uerisimile est, quòd hæ quoq; hoc idem præstent scilicet, ut iuuenem grauius, senem leuius offendant: quia enim hic suapte natura debilis, ille uerò robustus est, ut iuuenis non nisi à ualida causa mutabitur, & per aliquod tempus illi resistet: ita senex non nisi à leui si resistere debet, alioqui à ualida breui corrumpitur. Nam et si frigi dis morbis (ut quidam arbitrantur) promptius affi ciũtur senes non tamen uehementius q; iuuenes ab his sẽper lædi necesse est præsertim ubi dolor aliquis in erit. quippe aliud est magis prompte, aliud magis ue hementer se habere: aliud item magis paratum esse, aliud intensius pati. sed quoniam hæc ad con iecturam attinent, nos uerò ea, quæ artis sunt, inue stigamus: melius fuerit, si dixerimus senem, ut plu rimum leuius ægrotare. quàm iuuenem: iuuenem ue*

rò ut plurimum grauius. MAT. iam uideris idoneus auditor euasisse eorum, quæ Fescennius præceptor meus docet. BOE. non solùm uideri uolo, sed esse: nunquàm tamen fiet, ut Galenum nostrum relinquã. MAT. relinquas? immò nisi eius dogmata probè nosses, neque tecum ego nunc loquerer: neque te ille unquàm inter suos admitteret: uidi enim sæpius à Fescennio eos, qui Galenum ignorabant reijci: qui illum nouerãt, solos recipi: sed de his hactenus ad propositum nostrum redeamus. Senum morbi, ut iã conuenimus, leuiores ut plurimum sunt, quàm iuuenum, ut puta, pleuritis in sene leuior ut plurimum est, quàm in iuuene: similiter dolor auris, atq; alij multi præternaturam affectus siue acuti siue non acuti: potest ne in uniuersum dici morbos senum plerumq; leues esse? BOE. potest. MAT. leues morbi sine periculo sunt: senes igitur, quòd ad eorum morbos attinet, ut plurimum erunt sine periculo, proinde si morborum causa pereunt, peribunt, ut plurimum absq; periculosis morbis, eius contrarium experientia demonstrat. BOE. quinimmò in senibus quoq; leues morbi non rarò sunt periculosi, quippe qui non rarò cum eorum uita finiuntur. MAT. si leues sunt, quando periculosi erunt, quando cum senum ui-

ta finientur? BOE. ubi in longum protrahentur: uirtus enim, quæ quotidie magis imbecilla fit, qualis est senum uirtus: ubi aliquo, quod præter naturam se habet diutius afficitur: ut illud antea expellere nequiuit: ita in posterum quia longè imbecillior euasit, eò minus poterit, quo fit, ut illud plerumq; ad extremum usq; secum ferat, & aut id cum illa, aut hæc cum illo finiatur: iccirco auris dolor (ut supra ex Hyppocrate *dictum est) leuior quidem in sene, sed si in hac ætate reuertatur, plurimos interficere solet: morbi enim reditus, ceu quædam longitudo eius est: ac etiam primo de morbis loco superius citato scribitur, ab huiusmodi affectionibus ne senes quidem penitus liberantur, sed longo tempore afflicti pereunt. ita ut & communi consensu, &* Hyppocratis *authoritate iam satis constet senum morbos leues quidem plerumq; esse, sed ex his, quicunq; diuturni fiunt, senes plerumq; uel interimere, uel cum eorum uita finiri.* MAT. *hoc est mi Boethe, quod Fescennio interprete* Hyppocrates *hoc aphorismo nos docet: nempè senum morbos leuiores plurimum esse, quàm iuuenum: sed si diutini fiant, quanquàm leuiores sunt, plerumq; tamen ad mortem comitari. Sanè uerò duo nobis documenta tradit: primum, quod tum senes,*

tum iuuenes ægrotant; sed senum ægritudines (quod pace aliorũ interpretũ dictũ sit) magna ex parte minores hoc est imbecilliores leuioresq; sũt, q̃ iuuenũ: ideoq; dicit ægrotant minus, hoc est minoribus ægritudinibus capiuntur, non autem quòd magna ex parte rarius ægrotent: id enim iam notum fecimus, q̃ malè adaptetur aphorismo. Alterum est, quod licet senum ægritudines ut plurimum debiliores, leuioresq; sint; ubi tamen in longum producuntur, senes magna ex parte ad mortem comitantur. & primum & secundum ad præcognitionem in singularibus pertinet: utrumq; quidem utile; sed posterius magis, ut potè, quod nos admoneat ne leues morbos in senibus negligamus, quippe qui si in longum protrahantur, sæpenumero cum illorum uita finiuntur. BOE. cur uerbum συναποθνήσκει mortis comites sunt; siue comitantur ad mortem interpretaris? MAT. quia id & græca lingua suadet, & morbi complures longi usq; ad mortem quidem senes affligunt, suapte tamen natura nequaquàm interimunt; sed interitus comites sunt. BOE. quot sunt hi? MAT. multi quidem, sed primo de morbis ita scriptum inuenitur:

›› Tales uerò non lethales sunt, nisi quid ipsis accedat
›› cedmata, melancholia, podagra, coxendix, tinesmus

" *quartana, tertiana, ſtranguria, lippitudo, lepra,*
" *impetigo, arthritis: ij quidem morbi per ſe non interimunt ſenes (uidemus enim eos cum horum aliquibus, diutiſſimè uiuere) ſed plerumq; cum eorum uita finiuntur. differt uerò, cum ſenis uita finiri, et ſenem interimere: nam cum eo morbo qui interimit neceſſariò finitur uita, ſed is, qui cũ finitur, nõ neceſſariò interimit: quanq; ut aliquando interimat, nihil uetat. itaq; ſenum morbi magna quidem ex parte leues ſunt: ſed quicunq; ipſis longi fiunt, hi ut plurimũ non recedunt, ſed usq; ad uitæ extremum perdurant. Hæc eſt propoſiti aphoriſmi apud Feſcennium expoſitio: Galenus uerò alijq; interpretes id quod eſt minus ægrotare pro eo, quod eſt rarius accipientes in alienam opinionem diuerterũt, rati æquè eſſe dicere minus ægrotare ſenem, quàm iuuenem, ac dicere minus quàm iuuenem ad Tabernam ire, ſed multò ſecius ſe res habet: comparatione enim facta unius ad alterum in eo, quod eſt ad Tabernam ire magis, minus'ue, non poteſt aliter intelligi, quàm quòd ille ſæpius, hic rarius eat, ſed in eo, quod eſt ægrotare, aut febrire, aut dolere, non niſi remiſſionem, intenſionem'ue propriè ſignificat.*

Alexandri

lib. 6. pº aphor. 106 l. B. dicebar ex etatibus uero morbosiores sunt iuniores

ALEXANDRI TRAIANI PETRONII DIALOGVS OCTAVVS.

AMPHIBOLVS, BOETHVS. MATHETES. FESCENNIVS.

AMPH. *Vt nihil turpius mi Boesthe, quàm illud profiteri, quod nescis; ita nihil honestius, quàm quod nescis ingenuè fateri te nescire. Ego quidem hoc fateor: non intelligo, quid Galenus uelit, dum aphorismum quartæ sect. 19. interpretatur: neq; item quid alÿ expositores, qui hunc imitãtur.*
,, *tur.* Aphorismus hunc in modum habet. ὁκόσοι ἐν
,, τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι καθαιρόμενοι, οὐ
,, παύονται, πρὶν ἢ διψήσωσιν. *quod est, quicunq;*
,, *in medicamentorum potionibus non sitiunt, quum*
,, *purgantur non quiescunt, priusq̃; sitiant.* Galeni ue
,, *rò commentarius.* Qui *purgantur nonnulli statim*
,, *sitiunt, nonnulli postea; fitq; hoc propter ipsius uen*
,, *triculi dispositionem, & propter datum medicamen*
,, *tum, & propter humoris, qui uacuatur naturam;*

O

„ uentriculi quidem ratione, qui ex caliditate, uel sic‑
„ citate, uel ambabus qualitatibus promptè ad sitiendū
„ perducatur: siue hoc natura insit ei, qui biberit me
„ dicamentum: siue illo solùm tempore: ratione au‑
„ tem medicamenti, quum acre fuerit & calidum, &
„ mordax, propter humorem uerò qui uacuatur, quan
„ do bilis amara fuerit: hisce quidem de causis fiunt
„ sitibundi. ex contrarijs uerò longo tempore sine si‑
„ ti perseuerant: quando uel frigidiorem & humidio
„ rem uentriculum habuerit homo, qui purgatur, aut
„ ab initio, aut tempore purgationis: uel quando me‑
„ dicamentum omni uacat mordacitate: & tertio quā
„ do humor pituitosus, aut aquosus extiterit: uerùm
„ & in his, quando abundè fuerint euacuati, consequi‑
„ tur sitis: sufficiens etenim est, & ea, quæ ex eua‑
„ cuatione prouenit siccitas, ipsam efficere: accedit
„ præterea medicamenti purgantis uis habentis aliquā
„ et si neq; manifestam, neq; sensibilem, attamen laten
„ tem acrimoniam, et caliditatem. hactenus Galenus.

BO. quid clarius ab illo quæris? apertè scribit om‑
nes qui purgantur sitire, quanq; nonnullos statim, nonnullos uerò postea, ut etiam alij interpretes nar rant. hinc Medici nostræ ætatis, quum alicui purga torium medicamentum exhibuerint, audientes hunc

eundem de siti conqueri, eum semper consolantur his uerbis, purgati, donec non sitiunt, non quiescunt: proinde sitim, quæ purgationem sequitur, ut semper boni consulunt: ita ægris salutarem esse firmiter pollicentur. AMPH. *ego autem contra in dies experior, præsertim æstate eos quibus sitis, anteq; purgentur, molesta est: si post purgationem, uel in ipsa purgatione minuatur, aut cesset, multò melius habere, quàm quibus perseuerat, uel augetur: illi interdiu quiescunt, noctu dormiunt, promptius comedunt: hi contra noctu uigilant, inquieti fiunt, cibos omnes renuunt, atq; omnino lædi potius, quàm iuuari uidentur. sed in primis à te id scire uelim, quum sitis bifariam fiat, nempe naturaliter, & præternaturam, de qua siti Galenus loquitur? licet enim sitis, ut de anima. 2. narrat Aristoteles, appetitus humidi, frigidiq; sit: hic tamen nunc naturalis, nunc præternaturam est: naturalis quidem alimenti: præternaturam uerò solius temperamenti: hinc enim quidam ubi sitiunt, aquam appetunt solam, quidam uerò uinum: utpotè ij appetentes actu frigidi & humidi, ut dicunt, alimenti: illi uerò frigidi & humidi temperamenti. quomodo igitur eos, qui purgantur, sitire Galenus putat? naturaliter, an præternatu-*

ram? si naturaliter, cur inter huius sitis causas quandam uentriculi caliditatem, siccitatem'ue, quæ (ut ait) illo solum tempore sit, recenset? cur etiam medicamenti acrimoniam, atq; calorem? non enim hæc sitis causa sunt naturaliter hoc est secundũ ægrorum naturam. sin præternaturam sitire illos arbitratur; quomodo dici possunt quiescere ubi præternaturam siti torquẽtur? cur natiuam caliditatem siccitatem'ue sumit in causam? sed si nunc naturaliter, nunc præternaturam eos sitire nihil refert: qui fieri potest, ut quod nunc secundum naturam, nunc præternaturam se habet, utrouis modo idem significet? BO. *sitis mi* Amphibole *(ut* Galeno *placet) à multis quidem causis gignitur, nempè ab esu uiperæ, à uino, in quo talis serpens mersa sit, epoto; à uino ueteri usq; ad ebrietatem bibito: ab aquæ marinæ haustu, ut primo de sympt. caus. cap. 7. à biliosi succo ut hic, ut 3. in primum epid. commentario 23 ut secundo de facultatibus naturalibus cap. 9. à salsa pituita, ut lib. de multitudine cap. 11. sed à duabus præcipue, hoc est à caloris copia, uel humoris inopia ut primo de simplicibus med. cap. 30.* Huc *pertinet tùm quod sectione quinta aphorismo. 27. ab eodem scriptum reperitur, sitis causa una*

" est, humiditatis defectus, altera caliditas, ut ea, quæ
" fit ex uini meracioris potu, tùm quod sexto de locis
, cap. 3. Ingentis sitis, quæ citra diabetem accidit, cau
', sa est uentriculus, aut calida, aut sicca, aut utraq;
" intemperie affectus, & quæ sequuntur: tùm etiam
id quod in hoc commentario nobis tradit. si ergo à uentriculo sitis oritur, aut calor, aut siccitas, aut utrumq; subest: si à medicamento, eadem: si ab amara bili, similia: si à purgatione, aut illa eadem, aut certè siccitas: ne igitur me cauillis, & mæandris (quod pace tua dixerim) illis irretias, his intrices: dum interrogas, sitis hæc secundum ægri naturam est, an præter eius naturam? interroga, quibus de causis fiat? statim enim respondebo à caliditate, aut siccitate, aut ab utraq;. AMPH. quum non omnis caliditas sitim excitet, sed copiosa, neq; omnis siccitas, sed multa: quid conferet purgatio, quæ copiosam caliditatē, multamúe siccitatem, aut utrumq; simul præsertim in febrientibus quibus hæc non naturalia sed molesta sunt, inducet? quid in his resistet, quominus febres augeantur, aut reuertātur? si enim febriens, anteq; purgetur præter naturam sitit, oportet uerò, ubi purgatur, ut adhuc sitiat: uel magis sitiet, uel minus, uel æquè atq; antea: si hæc duo postrema

fiant, quis distinguet propter purgationem sitiat, an non? si enim æquè sitiat, quis cognoscet morbi causam fuisse amotam, quum idem symptoma superfit? sin minus, quid est admonere, quòd non quiescat, priusq; sitiat: immò rectius fuisset dictum, si minus sitiat. Sed si primum contingat, quod est magis sitire? quis iure non suspicetur morbum auctum esse, quum illius symptoma sit auctum. & omnino siti quæ præternaturam est perseuerante, aut crescente, uel æger à purgatione non iuuabitur, uel grauiter lædetur: utrumuis eueniat, aut noxium, aut inutile id documentum erit: si enim purgatio fiat qualis fieri debet, confert & leuiter toleratur ab ægro, si uerò non: (ut inquit Hyppocrates) *neq; confert, neq; facile toleratur. sed quis non uidet huiusmodi purgationem, quæ sitim præternaturam præexistentē præcipuè auget, neq; conferre, neq; leuiter ferri ab ægrotante?* BO. *confert, quia morbi causam submouet, facilè fertur, quia sitis postea desinit.* AM. *sitis (ut modo inter nos conuenit) febris ipsius est symptoma, febris causa sublata, eius quoq; symptoma cesset, oportet: alioqui ab illa non fit, nec pendet. si ergo sitis non aufertur, aut certè non minuitur, signum est & febrem adhuc subesse, ut in his,*

quæ intermittunt, quotidie cernimus, & purgationẽ potius officere, quàm conferre. quod deinde dicis febrientem siti aucta facilè tolerare purgationem, non ex animo (arbitror) sed ore tantùm dicis: dum enim à purgatione sitis febrientem toquet, quomodo eam, hoc est, purgationem facilè tolerabit? quia, inquis, sitis postea desinit, id sanè quasi tuo iure sumis: nam facilè tolerare non futurum tempus, sed præsens apud Hypp. respicit. an talis purgatio, quæ præexistentem in febre sitim auget, qualis fieri non debet, fit? dic, quæso, si purgati non quiescunt, priusq; sitiant, sitis ista secundum eorum, qui purgantur, naturam est, an præter? suspicaris (ut paulò ante dicebas) ne te Griphis & Mæandris implicem? quo modo enim quiescent? ubi sitis contrà præterúe naturã illorum excitatur? quippe quæ quãtò difficilius, quàm fames à sanis fertur, tantò infensius angit ægros, præcipuè febrientes, de quibus modò loquimur. BO. licet sitis adhuc illos infestet, quiescunt tamen, quia ea adueniente uindicantur à morbo, uindicantur à medicamenti motione, quippe qui iam perfectè purgati esse cognoscuntur. AMPH. cognoscuntur'ne à medicamenti motione cessare, quando magis sitiunt, quàm prius, purgatio uerò adhuc perseuerat lacess-

sens? quemadmodum aliquibus febrientibus usuueni-nire solet, qui sumpto purgatorio medicamento, quũ antea sitirent postea cùm purgantur, multo magis sitiunt, neq; adhuc purgari desinunt? quinimmò purgatione deinceps succedente ubi illa reprimi non potest multi in grauiores marbos, multi præcipites agũtur in mortem? cum ipsius sitis non sit medicamenti motionem sistere: deniq; in idem, quod antea dicebamus, recidis: si enim febrienti, qui adhuc sitit (ut sæpe accidit) opus est purgatione, quo pacto eum à febre liberum, perfecteq; purgatum esse asseuerabis ubi sitis, quæ prius inerat, non tollitur, aut non minuitur? BOB. *quemadmodum medicamentum purgatorium licet calidum potestate sit, ut hic, & alibi* Galenus *docet, febrienti tamen exhibitum maiori est utilitati, ut primo aphorismorum 24. idem innuit, q̃ noxæ: ita licet, sitim, quæ in febriente, anteq̃ purgetur, existit purgatio, non mutat, uel auget, magis tamen prodest, quàm obsit: prodest, quia humorem, qui febrem gignit, euacuat, & febris causam tollit, & ægrum à febre liberat: lædit uerò, quia sitim, quæ præfuit uel fouet, uel auget: ubi satis patet, longè maius commodum esse, quàm incommodum.* AMPH. *mi* Boethe *si res ex uerbis caderent, id*

nullo

nullo quidem argumento refelli posset: quod modò respondisti, tū cogita nō rarò euenire, quod febriens non parum lædatur, & quod purgatio, non qualis fieri debet, fiat: ubi is, antequàm purgetur præter naturam sitit: mox epoto medicamento uel æquè atq; prius, uel impendio magis sitit. si ergo ueritatis cultor simul ac fraudis inimicus es, te aliò uertere animum, quàm ad defendendum ea, quæ Galenus aliiq; interpretes tradunt, oportet: nec quærere, quid pro eorum defensione dici, sed quid re uera esse possit. nam ut alia omittam: Galenus hoc commentario scribit sufficere eam, quæ ex uacuatione prouenit, siccitatem, ut sitis fiat: nos uerò contrà euenire plerūq; uidemus: sed si præexistit sitis, quid opus est purgatione, ut fiat? sin augetur, quid cōfert? si minuitur, quomodo à siccitate, quæ purgationē sequitur, fiet? quinimmò præternaturam sitis, ubi uacuationem antecedit, facta uacuatione, si hæc conferat, facilèq; feratur semper retunditur, tantum abest, ut foueatur, aut crescat. quamquàm enim uacuatio, quia humorē educit, siccitatem quandam inferre uidetur, hanc tamen, quod sitis aliqua præternaturam intensior, q; prius erat, aut ferè eadem sequatur, nulla res cogit: potest namq; superfluum succum educere, qui ut prius

multitudine sua meatus obstruebat, & fortè sitim inducebat, ita dum uacuatur, aut dum uacuatus est natura, uel arte sitim auferre, aut certè ualde mi-nuere. præterea quod ibidem refert sitim fieri in his, qui purgantur propter humorem, qui uacuatur; quando bilis amara fuerit, tantum abest, ut quis mihi persuadeat, ut sitim tùm aboleri debere potius existimem: isto enim amara bilis ipsius sitis causa quando hæc uacuabitur, sitis causa submouebitur, hac submota, effectus, qui sitis est, auferatur, aut minuatur, aut certè non crescat oportet. Galenus ipse hoc idem testatur, quippe qui 2. de facult. naturalibus cap. 9. quis porrò (inquit) non intelligit, quòd ubi plurimum in uentriculo flauæ bilis continetur, perpetua siti urgemur: contraq; quòd ea uomita protinus à siti magis uindicamur, quàm si plurimã hausissemus potionem. Si ergo amara bili sitim excitante uomitu reiecta sitis aufertur, quæ eo magis intendi deberet, quo magis tunc et gulam & fauces & linguam & os ipsum suo transitu inficit: quid obstat, quò minus hac eadem per aluum euacuata tollatur sitis? BO. ab amara bili sitim excitari; qua uacuatur, uerè dicere nemo potest: sed qua inter euacuandum à medicamento commouetur, qua

etiam purgatio siccitatem aliquam inducit, sitim uel fieri, uel augeri nihil prohibet: quanquàm illa, ut statim intra purgationis initia fieri potest, ita paulòpost statim desinit, hæc uerò longè diutius perseuerat. AMPH. quæ pauco momento durat, quod nam indicium erit perfectæ purgationis, quam arbitramini per sitim ipsam significari? quæ uerò diu, si paucior sit, quàm prius, uanum est signum; si eadem, aut maior, nullum. quis deniq; purgationem hanc laudauerit, quæ sitim, qua febriens, anteq; purgetur, impensè afficitur, uel fouet, uel auget? opinaris'ne malè purgatum esse eum, qui quum antea grauiter sitiret, postea purgatus, sitire desijt? putas fortè sensum in his, quæ retulimus, decipi? quæq; & experimenta, & rationes adduximus, neq; rem, neq; ueritatem præ se ferre, sed ueluti picturas, & imagines esse tùm rei, tùm ueritatis? BOE. non luctabor in hac re tecũ mi Amphibole amplius: id enim ipsum, quod contra me loqueris, artificio quodam consequeris, ut mihi, quæ ego nolim esse primum concedas, dein ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueas. MA. alius iudex sit oportet, qui hanc inter uos litem componat. Tu Fescenni, qui eos interim audisti, potes: postq; enim iamdiu tacuisti, æquum est, quæ corde

recondita tenes, ut semel illis aperias; præsertim cũ & pulchra, & utilia ea fore speremus. FESC. *Si tantum in me esse, tum experientiæ, tum iudicij tibi uidetur, ut huiusmodi quæstionibus facere satis possim: faciam, quantum in me est, ut cognoscas.* Nam *etsi ante hac id sæpe renuebam, nõ superbia neq; inhumanitate id faciebam neq; quo studio rectissimo atq; optimo non obsequi uellem sed petitionis quorundam insolentia, atq; earum rerum quæ traditur in arte medica ueneratio me retardabat. pleriq; enim sunt qui ob discendi cupiditatem quicquid* Hypp. *de re medica in aphorismis præcipit id statim a nobis se doceri nimis importune requirunt, numq; animo secum uoluentes quod sicut in alijs quæ arte fiunt, ita in medicinæ præceptis discendis contingit: nisi enim & tempus, & spatium datum sit, quæ & qualia sint, cognosci non possunt, si momento raptimq; à præceptore ostendantur, atq; à discipulo audiantur, sæpenumero fit, ut quæ recta sunt, uideantur nõ recta: & quæ non recta, recta; atq; hæc una causa est, quamobrem diutius, quàm quis uellet, cunctemur explicare artis medicæ inuenta. altera, ut dixi est, huius artis reuerentia, quippe hæc non omnibus indiscriminatim communicari debet, sed his tantùm, quos*

quis antè expertus est ad illam idoneos esse; ut enim enim agri nō omnes frugiferi sunt, qui coluntur, sic animi nō omnes culti fructum ferunt: quocirca Hyp. (ut in eius iureiurando uidetur) medicum iuramento astringit, ut filijs præceptoris sui, & discipulis conscriptis, medicæ artis inuenta demonstret, et nulli alij: fortasse ueritus, si quando in uulgus incidissent, ne quis ex vulgo illis temere abuteretur, essetq; id ægris damno futurum, arti autem infamiæ, quemadmodum enim si medicus suspicetur, ægrotum si iusserit uinum sumere, meracius sumpturum, statimq; periturum, magna esset in culpa, sic doctor reprehendendus, qui doceret eos, quos suspicaretur doctrina peruersè & improbè usuros. quare mirum non est, si ætas nostra & medicinam aspernetur, & plerosq; medicos capitali odio insequatur. Postq; enim hæc iam diuulgata est, & in eorum manus deuenit, qui ne primoribus quidem labris illam attigerunt, ars esse desijt, & in coniecturam tota mutata est: quid dixi in coniecturam, immò in meram imaginationem: ferè enim omnia, quæ nunc à medicis tractantur, dubia sunt & incerta, quum & dicantur ab his, qui ea non planè teneant, & audiantur ab his, quibus non est cordi ueram artem nosse, sed

apparentem quandam opinionem, quæ exiguo tempo re acquiritur, aut falsa, aut certè obscura: ij enim sensu penitus relicto rationibus quibusdã nudis sese dedunt, quas (ut nouisti) indicationes uocant citra experiẽtiã, sumptas (ut inquiũt) à natura rei: quod si diligenter animaduerteris nulla fieri ratione posse comperies: namq; istam rei naturam, quam citra experientiam contemplari uolunt, uel constat esse, uel ignotum est: si constat, citra experientiam id esse non potest: quod enim cernitur in rebus, quæ ad artem aliquam pertinẽt uel esse, uel fieri, id ipsum sine experimento cognosci non potest: sin ignotum est esse quid de re ignota præterq; ignotum docere possunt? sed si ita supponunt esse, posteà uerò ratiocinantur, dein sua præclara dogmata produnt: quid aliud nobis tradunt, quàm disciplinam quandam ex suppositis, quæ utrum uera sint, an non sint, ignorantur? ac'ne plura, quæ sunt penè innumerabilia consecter, sic sibi quisq; persuadere debet, neq; artificiũ ullum medendi se esse consequutum, neq; quemq; ea, quæ ab Hypp. in aphorismis traduntur consequi posse, nisi experimento certo & iudicio facili ità esse probauerit. Demum ego quidem & tibi, & uobis alijs (ut ante dixi) libenter obsequar, neq; grauas

bor breuiter meo more, quid de hoc aphorismo sententiam dicere, sed primùm illud à uobis petam, ne has meas narrationes efferatis. Scio enim, quia hæ à Galeni opinionibus ualde distant, à quàmplurimis medicis damnatum iri, priusquàm eas uel audierint, uel legerint sic enim solent, quippe qui ne dignantur quidem narrationes appellare, sed malitiosis quibusdam blanditijs non ueritate, sed simulatione quæsitis ineptias uocant, sed malo illis ineptus uideri, quàm ægris esse. Cæterùm nos interim meminisse decet, si purgans medicamentũ cuipiam exhibuerimus, ubi sitis, quæ præternaturam est et ab humore purgando dependet, augetur, eum ualde lædi: ubi æquè atq; anteà perseuerat, utrum iuuetur, ignorari: ubi nulla sitis adsit, atq; huius rei causa sit humor qui purgatione indiget, nunq̃; planè purgatum iri, nisi sitis oriatur: utpotè quæ nisi fiat, humorem purgationis indigentem qui sitim probibebat, adhuc inesse significet: id quum in rebus non semel, sed millies apparere uiderimus, mox nobis cogitantibus quamobrem ille lædatur, hic iuuetur, occurrit, quoniam illa purgatio qualis fieri non debet, fit; hæc qualis fieri debet, fit. nam si quispiam præternaturam sitit, purgatione autem eget, ut perfectè purgatus esse cognosca-

tur, nec magis, nec æquè atq; antea ſitire debet, ſed ſi non ſitit, quum omnis purgatio uel ſuccum uel hycorem aliquem euacuet, ubi hic ſitim prohibet, niſi ſitis ſubſit, amotus ſit nec'ne, cognoſci nequit: in quare illud quoq; diligenter animaduertendum eſt, ſi quis non ſitiat, ut is cui aliquid, quod ſitim ſedat, in linguam diſtillat, purgatione uerò huius cauſa non egeat, ſi forte à quopiam temere purgetur, non conſiderandum eſſe, ut perfectè purgatus ſit, ſitiat, an nõ ſitiat, quia is purgari non debebat: ſermo enim noſter de eo eſt, qui non ſitit, ob humorem qui purgandus uenit. contra uero ſiquis naturaliter ſitit purgatione autem eget, non expectanda ſitis eſt ut ad purgationis finem deuentum eſſe cognoſcamus ſed alia ſigna conſideranda. AMPH. *an eum qui, non ſitit poſtq; ſitis ſuperuenit, perfectè purgatum eſſe licet aſſerere?* FESC. *minimè: nam multa alia requiruntur, nempè ut ægrotus leuior factus ſit, ut melius dormiat, ut morbus ceſſet, aut minuatur, & alia pleraq;: cum his tamen omnibus niſi iam ſitis appareat, abſoluta non eſt purgatio: proinde magnopere aduertendum eſt, quod dicimus, niſi ſitiat, purgandi finem non aſſequi, mox ſi ſitiat purgandi finem aſſequi, illud prout negat, uerum, certum, ac neceſſariũ*

eſt:

est: hoc prout affirmat, contingens, incertum, fallax: quippe sitis, ut nondum orta est, ita non dum perfectam esse purgationem pollicetur: sed iam orta, quod ad ipsam attinet, non magis perfectam, quàm imperfectam esse significat: quanquàm nisi ipsa oriatur, huiusmodi purgatio perfici non possit. quemadmodum enim mulier utero gerere non potest priusq; uiro iungatur, ubi tamen huic iuncta fuerit, ut utero gerat nõ oportet, ita qui non sitit (modo purgãdus sit) priusq; sitiat, perfectè purgatus esse nequit: ubi uerò iam sitit neq; certe neq; necessario purgationẽ integrã est adhuc assecutus. AM. quid igitur nos docet ista narratio? FES. quod qui purgandus est, si non sitit, purgandi finem non consequitur, nisi sitiat: non autem quòd is, qui nõ sitit, si iam ubi purgatur, sitiat, sit purgandi finem consequutus: illud enim artis est, hoc coniecturæ, illud per se certum est: hoc nisi multa alia concurrant, incertum: quanq; sitis orta, quum ante non fuerit, magnam partem conferre solet ad cognoscendum purgandi finem. AM. utrum sicut is, qui nõ sitit, anteq; purgetur, non perfectè purgatur, priusq; sitiat, ità qui nõ famescit, anteq; purgetur nõ perfectè purgabitur, nisi famescat? FES. id æquè est, ac si quæsieris, ubi qui non uigilat, anteq; purge-

tur utrum perfectè purgetur, priusq; uigilet? & qui non ambulat, perfectè uacuetur, anteq; ambulet? etenim sitis maximè est purgationi familiaris plus tamen, minus'ue: sed famescere, uigilare, ambulare, & huiusmodi quodlibet non similiter se habent. AMPH. *quamobrem?* FESC. *quia (ut modò diximus) purgatio, quod ad ipsam pertinet sicci tatem aliquam afferre uidetur quam deinde sitis sequi solet: quia uerò præterea uentriculum aut laxat aut calfacit, famem & huiusmodi quoduis aliud turbat, impedit atq; aufert potius, quàm excitet.* AM. *si purgationis est siccitatem afferre, ut asserere uideris, siccitatē uerò sitis ipsa sequi solet: quomodo fiet (quanq; id experientia monstrat) si purgatio sitienti alicui adhibeatur, & qualis fieri debet, fiat, ut is sitire desinat, aut certè minus sitiat? quod ego contra Galenum, & reliquos* Hipp. *expositores propter hunc aphrosimum im medium ab initio proferebam?* FESC. *id soluitur, quoniam dicitur, quòd purgatio sitim inferre soleat, non autem, quòd semper efficiat. Sed esto quòd omnis purgatio siccitatē, mox sitim aliquam pariat, quemadmodum complures probare conantur, nihil propterea absurdi efficitur: nam purgatio quædam imitatur naturā, quædam præter*

naturam est; illa qualis fieri debet, fit: hæc contra: illa siccitatem inducit naturalem, suauem, homini amicam: hæc molestam, insuauem, contrariam: illa sitim secundum naturam, & quæ sine molestia fertur; hæc sitim præternaturam & infestam: qui ergo præternaturam sitit, antequàm purgetur, si purgandus sit, purgatio illi non prodest, quæ sitim præternaturam auget: sin illam tollat, mox naturalem siccitatem afferat, nihil obest, quin naturaliter sitiat, satis est enim siccitatem, quæ sitim præternaturam gignebat amotam fuisse: quòd uerò naturalis quædã siccitas subsit quàm subinde naturalis quoque sitis sequatur nihil prohibet: quũ purgatio, quæ qualis fieri debet, fit; ægrũ naturæ suæ restituat. sed hæc in gratiam eorum, qui contendunt ab omni purgatione necessariò moueri sitim; quod si tu quoq; id forsan ità esse arbitraris, exiguã sanè fieri existimes, ac ueluti eam, quæ potanti moderatam quandã oblectationem simul ac iucunditatem adferat. hæc uideo, dum prolixius uolui dicere, dicta à me esse paulò obscurius, sed dicam si potero tùm breuius, tùm planius. quicũq; purgatione indiget, is antequàm purgetur, aut præternaturam sitit, aut non sitit: qui si sit (ut antè monuimus) cognosci nequit, perfectè

purgatus sit nec'ne, priusquàm sitiat, quia iam sitiebat: qui uerò non sitit, ad purgationis finem non deueniet, antequàm sitiat: proinde quousq; non sitiet, nondum perfectè purgatum esse significabitur: atq; id est, quod Hipp. nunc nobis ostendit: quippe qui non eos, qui antequam purgentur, sitiunt, sed eos duntaxat, qui non sitiunt hoc aphorismo complectitur: quod facilè palàm fit, si eius uerba diligenter obseruauerimus: inquit enim. Quicunq; in medicamentorum potionibus non sitiunt: non autem quicūq; in medicamentorum potionibus sitiunt: ubi uides nō de omnibus, qui purgatoria sumunt, etiam si rectè sumant, eum loqui, sed de his duntaxat, qui non sitiunt: postea subdit, quum purgantur, non quiescunt, priusq; sitiant, hoc est purgandi finem non faciunt: sic enim & græca lectio καθαιρόμενοι οὐ παύονται participio pro infinito, ut moris est accepto, persuadet: ac si dixeris, quicunq; purgatorijs indigentes non sitiunt, ij, quum purgantur, purgandi finem nequaquam attingunt, nisi sitiant. id quod si Galenus, alijq; axpositores animaduertissent, in ea, quæ contra illos superius afferebas non incidissent: neq; Boethus dubitasset, an sitis ista, quæ sequitur, naturalis esset: quum enim secundum naturam

purgatio fit, sitim, quæ illinc oritur, secundum natu-ram quoq; esse uerisimile est; sed omnes aliò animũ conuerterunt rati de omnibus, qui purgandi erant ab Hippocrate sermonem fieri: quum enim arbitrarentur ab omni ferè purgatione siccitatem, subinde sitim effatu dignam oriri, tum ratione citra experientiam (ut solẽt) admissa: omnes qui purgantur uel statim, uel paulò post necessariò sitire enunciarunt; sed ex his satis patet quàm periculosa, quàm etiam noxia sit huiusmodi expositio: quæ tamen si in animo tantùm maneret, ut philosophorum sententiæ se habent, nequaq̃; uerò in opus dirigetur, multò magis expedijsset tũ Galenũ, tũ alios tãq̃; antiquiores uenerari, atq; eisdẽ cedere, q̃; in his refellendis tantum temporis consumere: sed quoniam ij non solùm, quæ dicunt animo retinenda iubẽt, sed etiam facienda suadent: quæ si fiant, magnũ afferunt (ut iam palam esse potest) hominibus detrimentum: impium sanè esset, quod humano generi utile esse arbitramur, tacere: quod uerò summè perniciosum uidetur, ab alijs passim fieri, quoad per nos licet non prohibere. effudi uobis omnia, quæ de hoc aphorismo sentiebam: quæ fortasse si uobis quoq; uidentur inepta, Mathetes debet, qui me primum ad dicendum compulit, cul

pam præstare. AMPH. *immò nobis ista sunt per-grata, perq́; iucunda. Sed nollemus abs te tàm citò peroratum iri, sunt enim multò plura, quæ in aphorismis desideramus, quæq́; abs te requirimus, ea si nunc patefeceris, expleris omnem expectationem diuturni desiderij nostri.* FESC. *sinite nunc tantisper me in silentio esse dum hæc paucula aliquo deueniāt, ubi non sit maleuolis locus: ubi sine liuore ab alijs perlegantur.* Quippe *hæc tanq́; præludia meorum commentariorum & quasi quoddam specimen totius eius operis quod in* Hipp. *aphorismos* Condidi, *uobis exposui, ut anteq́; reliqua in lucem proferam, hæc quanti sint & quid ualeant doctorum iudicio intelligam, ac si forsan æquè ab his atq; ab alijs (quoniam à* Galeno *recedunt) interim negligantur apud me cætera retinere possim, donec eorum defensio interclusa respiret. quod si contra eueniat ut hæc eadē illis placuisse cognoscam, non solum hoc præsens dicti operis specimen, sed totum opus ipsum integrum libentissime uobis ostendam, explicaboq́; omnia quæ adhuc propter inuidorum iniquitatem tacui & tacenda esse putaui. quum non ignorem etiam hæc ipsa quæ nunc uobis tam beneuole tradidi, a paucis omnino medicis laudatum iri, nam ut pauci ex his sunt,*

qui non acutius atq; acrius uitia in altero, quàm recta uideant, ita quicquid est, in quo offenduntur, etiã illa, quæ laudanda sunt, obruit. etenim, etsi aliqui ualde probent studium nostrum, qui tamen uident, se horum, quæ dicimus, ignaros esse, id multo magis moleste ferunt: subinde nos infensius calumniantur, illud Euripidis imitati ὅπου δὲ αὐ φαῦλος ᾖ ἐν τοῦθιν φεύγει καὶ λοιδορεῖ τούτῳ, quod est, ab eo, quod quis ignorat, fugit, idemq; probris insectatur, sed hoc uno confido (tanta enim est ueritatis potentia) quòd hæc nostra seipsa per se defendent contra hominum inuidiam, calliditatem odium contraq; fictas omnium insidias, & multorum improbitate depressa tandem emergent.

ERRATA.

Patiter, fol. 6. pariter ἐνκπυΐσκονται fol. 17. ἐκπυΐσκον-ται φυωατίαι fol. 17: φυματίαι. supperetur, fo. 13. suppuretur. supperatus. fol. 14. suppuratus. Study. fol. 21 Studui. adducere. fol. 22. abducere. κίνδυ-γοι. fol. 23. κίνδυνοι. Connula. fol. 39. cannula. pro pure. fol. 39. pro eo quod est pus. decepi. fol. 31. deci pi. insultius. fol. 41. insulsius. pluries. fol. 32. sæpius occultas. fol. 46. occultas. plùries. fol. 50. sæpius. φαρ-μακοποσησι. fol. 53. φαρμακοποιῆσι. toquet. fol. 56. torquet.

Romæ apud Valerium Doricum. M D L X I.

Est Francisci [illegible] Asisiensis